DE OFFICIO HOMINIS CHRISTIANI IN PERSECVTIONE CONSTITVTI.

Auctore IOANNE LENSAEO Belliolano, Sacræ Theologiæ Louanij Professore.



LOVANII,
Apud Petrum Zangrium Tiletanum.
M. D. LXXVIII.

Cum Gratia & Priuilegio Reg. Maiest.

PRÆFATIO.



A quorundam etiam nunc est cæca nimis opinio, vt ineptum ac stultū putent, Religionis causa, persecutionem pati: & torqueri ac mori velle, cum liberè liceat abire, paululum aut repressa lingua, aut ad potentioris cuiuspiam laxata voluntatem. Neque verò id sentiunt aliquo nixi rationis vel authoritatis fundamento, sed ob id tantūmodo, quòd hac corporis vita & luce, pecudum more, delectati, non considerent, quanti facienda sit pietas, qua Deo coniungimur, promissionemque habet vitæ quæ nunc est & futuræ. Ac nomen isti quidem Christianum gerunt, sed reuera Gentilibus ijs similes sunt, de quibus Tertullianus in Apologetico: Quidam, inquit, dementiam existimant, quòd, cum possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animum proposito, obstinationē saluti præferamus. Datis scilicet consilium (ait) quo vobis abutamur. Idcirco iidem Christianos desperatos ac perditos, & sarmenticios ac semissios appellabant, quod ad stipitem dimidij assis reuincti sarmentorum ambitu, exuri sese paterentur. Sunt alij, qui cum Religionem primo ha-

cap. 27.

Apologetici cap. 46.

bendam loco fateantur, nullam tamen rationem postulare censent, vt ea proferatur, vbi ex persecutione vitæ periculum impendeat. Sat enim esse, si coram Deo, cui vni placere sufficiat, integritas fidei pura conscientia teneatur, nec Deum verba, sed loquentis animum inspicere. Denique suam hanc sentētiam diuinarum etiam litterarum authoritate communire nituntur. Imitati sunt veteres hæreticos, qui cum reliquis suæ doctrinæ portentis hoc quoque coniunxerunt, vt martyria facienda esse negarent. Testatur hoc de Basilide Tertullianus, in libro quem de hæresibus scripsit, & Origenes in Ezechielem: Valentinianos ille quoque testis est, martyrij necessitatē elusisse, quacunque interpretatione. Quendam præterea Corpianum inter hæreticos numerat Optatus Mileuitanus, quòd negaret debere esse martyria. Sed & Priscilliani commentum hoc fuit, qui sæculi gladio & totius fuit orbis authoritate damnatus. Cuius in dogmatibus propter occultandas turpitudines flagitiosas, etiam illa verba reperta sunt: Iura, periura, secretum prodere noli. Fuisse quoque Helchisitas Eusebius commemorat, qui fidem in persecutione verbo docuere negandam, sed corde & animo conseruandam. Nec verò Eunomius & Vigilantius,

Basilius homilia in Gordium Martyrem.

Vide etiam Eusebium lib. 4. ecclesiast. hist. cap. 8.

lib. 4. ad Parmenianum.

Hieronymus ad Ctesiphontem.

Hæresi 70 apud Aug.

lib. 6. c. 28. & Aug. hæresi 10.

tius, ab hoc errore fuiſſe videntur alieni, quorum vterque nullo dignas honore credidit reliquias martyrum. Quocirca aduerſus Vigilantium ſcribens D. Hieronymus: Miror (inquit) quod non dicas nequaquam perpetranda eſſe martyria: Deum enim qui ſanguinem taurorum hircorumque non quærat, multo magis hominum non requirere. Quod cum dixeris (imo etſi non dixeris) ita haberis quaſi dixeris. Qui enim reliquias martyrum aſſeris calcandas eſſe, prohibes & ſanguinem fundi, qui nullo honore condignus eſt. Denique & D. Bernardus ætate ſua fictos iſtiuſmodi & duplici corde homines hæreticos fuiſſe teſtatur: Quos pluribus verbis depingens: Indixêre (inquit) latebras ſibi, firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Iura, periura, ſecretum prodere noli. Et hi tamen ipſi aliâs ne tenuiter quidem iurare ſuſtinebant. Priores illi doctrinæ medicina ſanandi magis erunt, quàm diſputatione refellendi, vt intelligant animæ ſalutem, corporis incolumitati; & pietatem atque iuſtitiam, vitæ huic temporariæ multis nominibus anteponendam eſſe: fruſtraq; cum offenſione Dei quandam huius temporis fælicitatem ſeu potius fælicitatis vmbram retineri, quam ſemel amittere vel moriendo neceſſe ſit. Ex quo illa D. Cypriani

Serm. 65. in Cantica

clarissimi Martyris adhortatio est ad plebē Thibari consistentem: Si mortem possemus euadere, meritò mori timeremus: porrò autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de diuina promissione & dignatione venientē, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis, nec vereamur occidi, quos constet, quādo occidimur, coronari. Nec verò amitti modo hanc qualemcunque vitæ præsentis fælicitatem necesse est, verùm etiam pro ea cupidius quàm par sit, adamata, sempiternam infœlicitatem reportari. Non enim falli potuit is cuius ea celebratissima vox est apud Christianos: Qui amat animam suam in hoc mūdo, perdet eam. &: Quid proderit homini si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? His similibusque rationibus adnitendum erit, vt iustitiæ dignitate proposita, fructuque eius commonstrato, si colatur: detrimentoque grauissimo, si violetur, præ illis fluxa hæc & caduca bona contemnant, quorum amore cæcati, & sæculari duntaxat prudentia, non Christiana, qua sibi ad beatam æternitatē consulere possint instructi, irridendā censent piorum fortitudinē; qui & ipsam corporis vitam profundere ac perdere malunt, quàm id committere quod sit cum iustitiæ aut pie-

Li.4.epist. epistola 6.

tatis violatione coniunctum. Quemadmodum hoc sanè septem Machabæi fratres præclarè præstiterunt, è quibus qui tertio loco passus est, cum linguam iussus amputandam protulisset, dixit: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges, nunc hæc ipsa despicio: quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Insigni prorsus exemplo fortitudinis, secuturos omnes pios instruens quanti facienda sit iustitia, quæ diuinarum legum obseruatione continetur: Quæ sic amanda est (inquit August.) vt ab eius operibus, etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum, luceant opera nostra coram hominibus, vt quibus placere possint, glorificent patrem nostrum qui in cælis est. Vnde ille fortissimus iustitiæ dilector exclamat: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est: Quoniã propter te mortificamur tota die, deputati sumus sicut oues occisionis. Sicut ergo ille est nequissimus (inquit) quem nec pœnæ corporales deterrẽt ab immũdis operibus sordidæ voluptatis: ita ille iustissimus, qui nec pœnarũ corporaliũ terrore, reuocatur à sanctis operibus luminosissimæ charitatis. Hac inflãmatos aliquãdo plurimos Dei

Lib. 2 Machab. ca. 7.

Epist. 144.

Matth. 5.

Roma. 8.

Psalm. 43.

 culto-

cultores, à Christo Deo, non solùm colẽdo, verùm etiam confitendo, metus vllus aut terror reuocare non potuit: blanditiæ nullæ, promissio nulla dimouit: sed nec facultatum violenta subtractio, nec acerbitas vniuersarum variarumq; pœnarũ, & ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur: Neque tũc ciuitas Christi, quamuis adhuc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, aduersus impios persecutores suos pro temporali salute pugnauit, sed potius vt obtineret æternam, non repugnauit: ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, vrebantur, laniabantur, trucidabantur, & interea tamen multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro Saluatore contemnere. Scio (inquit August. in libro Ciceronis 3. ni fallor, de Repub.) disputari, nullum bellum suscipi ab optima ciuitate, nisi aut pro fide, aut pro salute. Quid autem dicat, pro salute, vel quam salutem intelligi velit, alio loco demonstrans. Sed his pœnis (inquit) quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exilio, vinculis, verberibus elabuntur sæpe priuati, oblata mortis celeritate. Ciuitatibus autem mors ipsa pœna est, quæ videtur à pœna singulos vindicare. Debet enim constituta sic esse ciuitas, vt æterna sit. Itaque nullus

lib. 22. de ciuit. cap. 6

nullus interitus est Reip. naturalis, vt hominis: in quo mors non modo necessaria est, verùm etiam optanda persæpe. Ciuitas autem cum tollitur, deletur, extinguitur, simile est quodammodo (vt magnis parua conferamus) ac si omnis hic mundus intereat ac concidat. Hoc ideo Cicero, quia mundum non interiturum cum Platonicis sensit. Constat ergo eum pro ea salute bellum voluisse suscipi à ciuitate, qua fit vt maneat hic ciuitas (sicut dicit) æterna, quamuis morientibus & nascentibus singulis, sicut perennis est opacitas oleæ vel lauri, atque huiusmodi cæterarum arborum, singulorum lapsu ortuque. Vnde meritò quæritur (ait) vtrum rectè fecerunt Saguntini, quando vniuersam ciuitatem suam interire maluerũt quàm fidem frangere, qua cum ipsa Romana Repub. tenebantur, in quo suo facto laudabantur ab hominibus terrenæ Reipub. ciuibus. Sed hi quomodo huic disputationi possent obedire, non video, vbi dicitur nullum suscipiendum esse bellum, nisi aut pro fide aut pro salute; nec dicitur, si simul in vnum periculum ista duo ita concurrerint, vt teneri alterum sine alterius amisione nõ posit, quid sit potius eligendum. Profectò enim Saguntini si salutem eligerent, fides eis fuerat deserenda: si fides tenenda, a-

mittenda vtique salus, sicut & factum est. Salus autem ciuitatis Dei, talis est, vt cum fide ac per fidem teneri, vel potius acquiri possit; fide autem perdita, ad eam quisque venire non possit. Quæ cogitatio firmissimi ac patientissimi cordis tot ac tantos martyres fecit. Hæc Augustinus. Sed quoniam alij sunt, qui (sicuti significauimus) argumentis etiam disputandique subtilitate, nituntur probare quod dicunt, fieriq́ue sic oportere aut licere confirmant, contra hos operosius erit agendum, atque ante omnia demonstrandum, præter fidem, etiam fidei professionem homini Christiano quandoque necessariam esse.

HOMI-

HOMINI CHRISTIANO PRÆTER INTERIOREM FIDEM, *etiam fidei professionem suo tempore necessariam esse, non obstante persecutionis metu.*

CAPVT PRIMVM.



GITVR CHRISTI Redemptoris humilitas, vsque ad probrosæ mortis perducta supplicium, superbos quondam philosophos à Christianæ religionis amplexu legitur repulisse. Christum enim illi contemnebant propter fragile corpus ex fœmina sumptũ, & maximè quidem propter crucis opprobrium: Idonei scilicet, qui sapientiá, spretis atque abiectis intimis (per quæ tamẽ nobis cælestis medicina consuluit) de supernis haurirẽt. Itaque cum propter superbiam credere nollẽt, Christiani fieri minimè potuerunt. Sed fuere tolerabiliore loco nõnulli, quibus iam quidẽ placebat ac probabatur Christiana religio, quòd ea veræ virtutis rationẽ salutisq́ue viam certissimè commonstrari perspiciebant. Verùm cum hanc adhuc irriderent gentes, quibus nimirum prædicatio crucis erat stultitia, (quẽadmodum Apostolus ait) Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; imo verò cum adhuc multi criminis loco ducerent esse Christianum, fiebat vel irrisionis, vel irarum suppliciorumq́ue metu, vt quod probarant, animi iudicio, iamq́ue in secretiores cordis recessus admiserant, palam id profiteri vererentur. Quo in numero fuerat apud Romanos aliquando Rhetor Victorinus. Legebat enim scripturam sanctam, Christianasq́ue litteras inuestigabat studiosissimè ac perscrutabatur, & dicebat Simpliciano Episcopo, non palam, sed familiarius ac secretius: Noueris me iam esse Christianum.

Sed

Sed quod eius animo iam adlubuerat, id ne profiteretur publicitus, talemq; se videri & haberi vellet, qualis pio salutariq; desiderio tum erat, pudor & metus prohibebant. Amicos enim suos verebatur offendere, superbos (ait August.) dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quasi ex cedris libani, quas nondum contriuerat Dominus, grauiter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Quem nisi postea metum superasset, vt quod crederet, id suscepto fidei sacramento, etiam profiteretur, nũquam fuisset profecto Christianus. Idcirco cũ Simpliciano sæpius ille se Christianum esse diceret, hoc semper à viro sancto audiebat: Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro. Meminerat enim ac tenebat ab Apostolo dictum esse: Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Dominus eum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde etiam illud est apud Psalmistam: Credidi propter quod loquutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. hoc est (inquit Aug.) perfectè credidi. Non enim perfectè credũt, qui quod credunt loqui nolunt. Ad ipsam enim fidem pertinet etiam illud credere quod dictum est: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Angelis Dei. Itaq; Victorinus, postquàm (vt Aug. ait) legendo & inhiando auxit firmitatem, timuitque negari à Christo corã Angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri, reúsque sibi magni criminis apparuit, erubescendo de sacramentis humilitatis verbi Dei, & non erubescendo de sacris sacrilegis superborum dæmonum, quæ imitator superbus acceperat, depuduit vanitati, & erubuit veritati, subitoq; & inopinatus ait Simpliciano: Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. Non iam amplius suorum irrisionem, non iras formi-

Lib. 8. confess. cap. 2.

Roma. 10.

formidabat, & quam rem sibi ad æternæ salutis consecutionem necessariã intelligebat, eam nullo persecutionis metu prætermisit. Neque sanè magnum adeò est, tũ Christianã præ se ferre ac profiteri fidem, cùm veneratione nominis huius omnes applaudunt confitenti, magisq́ persecutio timetur, si Christianus fieri nolis, quàm si te ad numerum Christianorum adiungas. Tum demum Christianæ fidei virtus elucet, cum aut humana gratia atque amicitia contemnitur, vt Deo placeatur, aut etiam temporaria potius ex persequentium odijs damna sustinentur, quàm incurrantur æterna. Delicatus est, qui pacis tẽpore videri vult Christianus aut Catholicus, neque magni æstimat Christũ, pro ipsius tamen salute crucifixũ, qui eius glorię causa nihil triste, nihil acerbũ perpetiendum putet. Quod si tales à principio fideles omnes extitissent, quales nonnulli aut esse debere, aut certe esse posse, commota persecutione putant, quęnam obsecro Christo gloria in terris fuisset, primis exortæ Ecclesiæ temporibus, quæ omnia penè persecutionum grauissimarum æstu feruebant? Atqui prædictum erat ita fore, vt suscepto in cælos authore salutis, in omni breui terra, gloria eius illustris, vita & confessionibus sanctorum appareret: Exaltare (ait Propheta) super omnes cælos Deus, *Psal. 56.*
& super omnem terram gloria tua. Itaque & Apostoli, sicuti id in mandatis habuerant, testes Christo fuerunt in omni Hierusalem & Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ: & illorum temporum cęteri Christiani, in medio licet nationis prauæ; hoc est, suos inter hostes ac persecutores constituti, instar luminarium cęlestium, relucebant, ac cœcæ gentilitatis tenebras, suæ & vocis & vitæ comparatione damnabant. An fortè effusus fuerat in Christi discipulos spiritus sanctus, virtusq́ ex alto tributa, vt occulti semper obscuriq́ in ciuitate sederent, Christiq́ prædicationem & cru-

Actor. 1.

cem

cem erubescerent: ac non potius vt eam constãter & intrepidè, etiam cum vitæ periculo, prædicarent, è qua non ignorarent mundo salutem ac vitam prouenire? Quamobrem & Timotheo suo scribit Gentium Apostolus: Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed collabora euangelio, sicut bonus miles Christi. Et aliâs de semetipso confitetur: Non erubesco euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Non erũt (inquit Leo) digni confessione filij & patris, quibus nunc caro Christi verecundiam facit, probabúntque se nullam de signo crucis sumpsisse virtutem, qui quod præferendum frontibus acceperunt, promere labijs erubescunt. Seruabãt igitur illud omnes, quod Sapiens Ecclesiasticus admonuit: Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam: Prorsus id agebant omnes vt essent bonus odor Christo, cuius vbique suauitate diffusa, veram iustitiæ vitam multi conciperent. Quænam autem esse potuisset Euangelij propagatio, quęnam amplificatio Christianæ familiæ sequuta fuisset, cunctis inimicitiarum metu, & cura vitæ huius conseruandæ, quasi prudenter, vt quorundam opinio est, tacentibus? Tales fuerint sectariorum ætatis nostræ patres, quos sese in eadem secum fide semper habuisse dictitãt, cum de suarum Ecclesiarum antiquitate premuntur. Si enim aliqui semper (vti affirmant) fuêre ipsorum per omnia in credendo, vel potius non credendo similes, profecto & tam rari fuerunt, vt cætus nullos facerent: & tam illiterati aut meticulosi, vt nihil scriberent: & tam obliti denique gloriæ sui redemptoris, vt nihil pro suæ religionis causa loquerentur. Sed hæreticorum sanè per aliquot sæculorum curricula, prouidentia fuerint vsi, ne persecutiones paterentur: in quibus patres & maiores nostri sic claruerunt

2. ad Tim. cap. 1.

Rom. ca. 4.

Epi. 18. 3.

Eccl. ca. 4.

runt in eadem nobiscum fide; toto orbe terrarum, vt facilè Christi vbique familia, domúsque Dei suæ doctrinæ & professione, & defensione, atque admirabili propter eam patientiæ mansuetudinisque virtute notaretur. Facilè enim in cõtemptum cælestis doctrina venisset, apud multitudinem præsertim hominum corruptorum, quæ nullos aut frigidos habere visa fuisset assertores. Citò quoque in hanc blasphemiam erupissent impura ora Gentilium, diuinum esse non posse, quod non diuino ac libero spiritu proferatur. Igitur sublata Christianismi professione inter eius inimicos, tollitur diuini nominis sanctificatio, Christiq; honos: intercipitur atque impeditur hominum æterna salus, Ecclesiæq; ædificatio, obscuratur Christi regnum, & Antichristi ac diaboli ciuitas longe lateq; diffusa, superbè sola exultat atque efflorescit. Neque tum profectò satis, quamobrem à Propheta dictum sit, intelligi potest: Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinẽ plebi suæ, benedictus Deus. Quod si Antiocho persequente lugendus deplorandusq; reip. Iudaicæ status videbatur, cum, sicuti scriptum est, neque sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrij seruabantur, neç simpliciter Iudæum se quisquam esse confitebatur, non multo tristius ac turpius erit, post effusam spiritus gratiam, populo Christiano, si furentibus religionis & crucis inimicis dissimulent atque obmutescant omnes, nec se Christianum Catholicum simpliciter quisquam esse confiteatur? Crediderant è Iudæorum principibus Christo prædicante nonnulli, sed ne eijcerentur è synagogis, palam se Christi discipulos esse, præ se ferre ac confiteri verebantur. Quorum ea fuit iusta reprehensio, Euangelij quoque verbis consignata, quod magis amarent gloriam hominum quàm Dei. Cuius adeò pręposteræ cupiditatis, ea quoque pernicies fuisse declaratur, vt & à creden-

Psalm. 67.

Lib. 2. Machab. ca. 6.

Ioann. 12.

credendo non paucos deterreret. Quomodo enim (ait Christus) vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: gloriam verò quæ à solo Deo est, non quæritis? Verus igitur Christianus, cui hoc vnicè propositum est, vt apud Deum gratiam ineat, neque hac vllam quæ sit ei cum homine, amicitiam potiorem ducit, quod corde credit, id profiteri quoque oportunè suoq; loco ac tempore non dubitat: Christum moribus, Christum voce ac verbis loquitur: neque irrisiones ac linguas sacrilegas moratus, in eius etiam cruce, sine omni rubore gloriatur, neque gloriæ eius quicquam decedere, neq; in proximis labascere fidem sua taciturnitate patietur: Postremò vel interrogatus confitendo, vel negare iussus moriendo, vel non impedita facultate fugiendo Christianum se esse, & prophanis sacris maculari nolle, testabitur.

Non licere Christiano homini aut suam negare fidem, aut profiteri alienam.

CAPVT SECVNDVM.

NVnquam verò aut neganda fides propria est, aut simulanda aliena, vt nos vel Christianos aut Catholicos esse diffiteamur, vel probari nobis hæreticorum placita, verbi factiue significatione monstremus. Sanè quia mendacium omne fugiendum est Christiano, cum nullum sit non contrarium veritati; nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, iustitia & iniquitas, peccatum & rectè factũ, sanitas & imbecillitas, vita & mors; ita sunt inter se veritas mendaciumq; contraria. Ideoq; vt illam amare, ita istud odisse debemus. Sed varij existunt mendaciorum gradus, nec defuere qui propter aliquam, piam præsertim, vtilitatem, mentiri licere docerent. Imo quibusdam in rebus, Apostolicis ac sanctis viris (ait quidã) mulieribusque simulare, fingere, mentiri, summæ interdum

Vide Aug. cap. 30. libri contra mẽdacium.

Marcus Marulus li. 4. de religiosè viuendi institutione.

terdum pietatis ingentísque prudentię fuit, continuóq; vt se Cassiani probaret discipulum, sanctorum monachorum & aliorum turbã inducit, quo mendaciorum pietas probatorum hominum roboraretur exemplis: Non attendunt isti vitiosum esse suapte natura mendacium: quod autem eiusmodi sit, nullo id casu licitum esse: nec verò vllo in genere vitiorum parua probari posse, si magna damnemus; cauendúmque esse ne postquam admiserimus initia, tum progressus consummationemq; excludere nequeamus. Rectè in Tusculanis Cicero: Tu modum adhibes vitio? & rursum: Qui modum vitio quærit, similiter facit, vt si posse putet eum, qui se è Leucade præcipitauerit, sustinere se cum velit. Quæq; crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Denique qui modum (inquit) apponit vitio, is partem suscipit vitiorum. Quis autem non videat in procliui esse, vt is qui fas esse putet quandoque mentiri, propter vtilitatem quæ inde capiatur, idem tum id maximè faciendum censeat, cum ex confessione fidei, in certum periculum mortis, vita vocetur? Ideóque Augustinus affirmat, nonnullos, cum ad officium hominis iusti pertinere censerent, quandoque mentiri, eousque progressos esse, vt & peierare, & de rebus ad Dei cultum pertinentibus, ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnunquam bonum piumq; opus esse contenderent. Sed cum omnia damnanda sint, atque omni etiam casu cauenda mendacia, quemadmodum Sapiens Ecclesiasticus insinuat, dicens: Noli velle mentiri omne mendacium; tum ea præcipuè vitanda sunt, quæ perniciosa iure vocantur: propterea quod vel Deo iniuriã afferant, vel graue homini concilient nocumentum. Porrò iniuriam irrogari Christo negatione fidei Christianæ, ex eo perspicitur, quod Christũ neget, quisquis sese negauerit Christianum. Neque enim Petrus, cùm adhuc esset in-

Vide Cassianum collatione 17. à cap. 15 vsque ad 20. & à ca. 21. vsq; ad 25

Lib. 4. Tus.

Enchir. 18.

Cap. 7.

firmior, ob aliud Christum negauisse censendus est, quàm quia se negauerit eius esse discipulum. Nisi autem crimẽ hoc esset Christum negare, non

Matth. 10.

diceret in euangelio Christus ipse: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Quod quantopere exhorruerint sancti Dei homines & inuicti milites Christi, cùm alij multi, tum præclarè Gordius Martyr sua & morte & voce declarauit. Suadentibus enim quibusdam, vt lingua negaret fidem, quam corde retineret: Mox ille, Negẽ ego Deum meũ (inquit) in cuius cultu sum æducatus? Nónne cælum, sol & luna lumẽ mihi clauderẽt suũ? Credam profectò humũ quam pedibus tero, mihi ruiturã. Nolite errare, Deus nequaquã irrideri potest. Ex ore nostro nos iudicat, ex nostris, inquã, verbis nos seruat & dãnat. Nónne tremendã Domini sententiã audiuistis: Qui me negabit corã hominibus, negabo & ego eũ corã patre meo qui in cælis est? Cætera apud D. Basiliũ. Quibus iungendũ est,

Vide Eusebii lib. 4. Ecclesiasti. Hist. c. 17.

quod Beatus Iustinus ait in primo suæ defensionis libro, cuiusdã Ptolomæi Christiani constantiã referẽs, in libera suæ religionis cõfessione, insidiose licet interrogaretur, vt eum perimendi oblata videretur occasio: Tanti (inquit ille) boni conscius, diuinam religionem præ se tulit: & de Christi magisterio ac totius boni institutionibus, publica cõfessione testatus est. Qui enim negat quod est, fine dubio culpabile iudicat esse quod negat. Atque ne hoc quisquam inter gentiles quidẽ faciendum esse putet, cum de crucis agitur confessione, non inter hæreticos præclarè suo nobis exemplo, fortis & pij Catholici demonstrauit officium B. Saturus, procurator domus sæuissimi illius Hunnerici regis Vandalorum. Cui cum præter pollicitationes & minas regias, vt Catholicam abnegaret fidem, etiam vxor diceret: Cognoscit Deus, quia inuitus facturus es hoc, quod fortè voluntariè

aliquanti fecerunt. Ille Beati Iob voce respondit: Tanquam vna ex insipiẽtibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier, si sola esset huius vitæ amara dulcedo: Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem proprium attraheres virum. Distrahant filios, separent vxorem, auferant substantiam, mei domini ego securus de promissis verba tenebo. Si quis non dimiserit vxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. In eo verò cauendo genere mendacij, quo sibi quisque vel alteri perniciosus esse aut famæ detractione aut vitæ possit, admirabilis extitit mulier illa septies icta, cuius inuicti animi fortitudo D. Hieronymi litteris commendata est. Ea cum adulterij esset accusata, atque is iuuenis, quo cum adulterium commissum esse dicebatur, volens compendio mortis longos vitare cruciatus, in suum sanguinem mentitus, & in adulterij confessione percussus esset, illa sexu quidẽ infirmior, sed virtute fortior, neque extensione eculei, neque vstione pedum, neque fodicatione laterum, vllóue alio tormento adigi potuit, vt se fecisse, cuius sibi cõscia non esset, fateretur. Sed ad Christum oratione conuersa, à quo solo suam innocentiam patefieri posse ac defendi credebat: Tu (inquit) testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renum & cordis, non ideo me negare velle ne peream, sed ideo mentiri nolle ne peccem. Ac mox iuuenem alloquens, qui sua confessione non sibi modò, verùm etiam illi, mortem parauerat: At tu (inquit) miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ipsa cupio mori: cupio inuisũ hoc corpus exuere, sed non quasi adultera. Hoc si tam fortiter illa fecit, ne suo mendacio adultera crederetur: quid perpetiendum est Christiano, ne sacrilegam impietatem mentiatur? aut si noluit ipsa sibi mortem vel infamiam consciscere, falsi confessione crimi-

Victor Vticẽsis lib. 1. de persecutione Vandalica.

Hieronymus de muliere septies icta.

nis, quanto maiore fortitudine enitendum est
Christiano, ne Christo iniuriam impio mendacio
videatur irrogasse? Hæc semper Martyrum forti-
tudo fuit, & virtus inuicta, quæ nulla digna laude,
nulla remuneranda corona est, si prudentius sibi,
fidem propriam ore negando, aut alienam asse-
rendo, cõsulerent. Proinde nec martyria esse vlla,
nec edita celebrari in Ecclesia debuerũt, eo quòd
iustius (secundum istos) sapientiúsque facerent
Christiani, si persecutoribus suis neque se confes-
sione detegerent, neque illos facerent homicidas,
sed mentiendo potius & negando quod sint, & ipsi
seruent incolumem carnis integritatem & cordis,
& illos conceptum animo scelus implere non si-
nant. At non ita faciendum esse senserunt Marty-
res beati. Viderunt enim, tenuerunt'q; quod scri-
Sap. 1. ptum est: Os quod mentitur occidit animam; ideó-
que in integro & incolumi corpore, animæ rui-
nam, mortem'q; grauissimam timuerunt: malue-
rũt animis viuere, vt hinc aliquãdo & mortua cor-
pora viuificarentur, quàm viuis corporibus, ani-
morum suorum gestare funera, per quę ipsa quan-
doque corpora æternæ morti traderentur. Hic
verò præcipuè grauem animæ mortem formida-
bant, vbi tanta sacrilegæ negationis iniuria, pro-
turbaretur è corde Christus. de quo, propterea
Thren. 4. quod vita nostra sit, dictum est à Propheta: Spiri-
tus oris nostri Christus Dominus. Nõ illud etiam
Psalm. 5. nesciebant quod est in Psalmis: Odisti Domine
omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes
qui loquuntur mendacium. Subierun itur hu-
manum odium, vt diuinum euitarent, perdi'q; ab
homine non refugerunt ad tempus, ne à Deo in
æternum perderentur. Altis inhærebat fixum ra-
dicibus illud: Nolite timere eos qui occidunt cor-
pus, animam autem non possunt occidere: sed eum
timete qui potest corpus & animam mittere in
Hebr. 10. gehennam. & illud: Horrendum est incidere in
ma-

manus Dei viuentis. Idcircò & sic in Apocalypsi Martyres laudati sunt, vt diceretur inuentum non esse ipsorum in ore mendacium. Itaque morte pro nomine Christi & honore cõtempta, irreprehensibiles abierunt, vbi tentari à mendacibus vlterius omnino non possint: quia mendaces amplius suis in cœtibus vel alienos, vel proximos non habebunt. Quocirca cum essent Augustini ætate quidam, qui sua post scelera rebaptizari volẽtes, profiterentur se esse paganos, ille hoc improbans vehementer: Cõsidera (inquit) quæso te, quàm execrabiliter ab his fiat, vt quos malè viuentes Ecclesiastica disciplina corripimus, persuadeatur eis, vt ad lauachrum alterum veniant: atque vt id accipere mereantur, paganos se esse respõdeant. Quæ vox (inquit) ne procederet de ore Christiano, tantus Martyrum sanguis fusus est. Porrò si aut negare verbo suam non licet fidem, aut alienam profiteri: multo erit sceleratius improbare expressè ac damnare quod pietatis est, cõuitiaq́ dicere, etiam si quod dicitur animi repugnante sententia, compellente vero metu proferatur. Quo loco B. Polycarpi occurrit egregia virtus: qua, iurare iussus fortunam Cæsaris, conuitiaq́ in Christum iacere, respondit: Octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam: quomodo possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit? Cúmque bestias diceret proconsul esse paratas, quibus obijceretur, nisi eum celeriter Christianismi pœniteret, dixit: Adhibeantur: nobis enim immobilis stat sententia, nec possumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari.

Apoc. 14.

Epist. 169.

Consulatur Eusebius lib. 4. Ecclesiastica hist. ca. 15.

Argumenta quædam partim ex scriptura de Iehu, partim ex D. Ambrosio petita soluuntur.

CAPVT TERTIVM.

QVid autẽ nobis Iehu proferunt ad exemplum mentiendi, quod seruum Baal se esse mentitus sit,

nis, quanto maiore fortitudine enitendum est Christiano, ne Christo iniuriam impio mendacio videatur irrogasse? Hæc semper Martyrum fortitudo fuit, & virtus inuicta, quæ nulla digna laude, nulla remuneranda corona est, si prudentius sibi, fidem propriam ore negando, aut alienam asserendo, cõsulerent. Proinde nec martyria esse vlla, nec edita celebrari in Ecclesia debuerũt, eo quòd iustius (secundum istos) sapientiúsque facerent Christiani, si persecutoribus suis neque se confessione detegerent, neque illos facerent homicidas, sed mentiendo potius & negando quod sint, & ipsi seruent incolumem carnis integritatem & cordis, & illos conceptum animo scelus implere non sinant. At non ita faciendum esse senserunt Martyres beati. Viderunt enim, tenueruntq; quod scri-
Sap. 1. ptum est: Os quod mentitur occidit animam; ideóque in integro & incolumi corpore, animæ ruinam, mortemq; grauissimam timuerunt: maluerũt animis viuere, vt hinc aliquãdo & mortua corpora viuificarentur, quàm viuis corporibus, animorum suorum gestare funera, per quę ipsa quandoque corpora æternæ morti traderentur. Hic verò præcipuè grauem animæ mortem formidabant, vbi tanta sacrilegæ negationis iniuria, proturbaretur è corde Christus. de quo, propterea
Thren. 4. quod vita nostra sit, dictum est à Propheta: Spiritus oris nostri Christus Dominus. Nõ illud etiam
Psalm. 5. nesciebant quod est in Psalmis: Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Subierunt igitur humanum odium, vt diuinum euitarent, perdiq; ab homine non refugerunt ad tempus, ne à Deo in æternum perderentur. Altis inhærebat fixum radicibus illud: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed eum timete qui potest corpus & animam mittere in
Hebr. 10. gehennam. & illud: Horrendum est incidere in ma-

manus Dei viuentis. Idcircò & sic in Apocalypsi Martyres laudati sunt, vt diceretur inuentum non esse ipsorum in ore mendacium. Itaque morte pro nomine Christi & honore cōtempta, irreprehensibiles abierunt, vbi tentari à mendacibus vlterius omnino non possint: quia mendaces amplius suis in cœtibus vel alienos, vel proximos non habebunt. Quocirca cum essent Augustini ætate quidam, qui sua post scelera rebaptizari volētes, profiterentur se esse paganos, ille hoc improbans vehementer: Cōsidera (inquit) quæso te, quàm execrabiliter ab his fiat, vt quos malè viuentes Ecclesiastica disciplina corripimus, persuadeatur eis, vt ad lauachrum alterum veniant: atque vt id accipere mereantur, paganos se esse respōdeant. Quæ vox (inquit) ne procederet de ore Christiano, tantus Martyrum sanguis fusus est. Porrò si aut negare verbo suam non licet fidem, aut alienam profiteri: multo erit sceleratius improbare expressè ac damnare quod pietatis est, cōuitiaq́ dicere, etiam si quod dicitur animi repugnante sententia, compellente vero metu proferatur. Quo loco B. Polycarpi occurrit egregia virtus: qua, iurare iussus fortunam Cæsaris, conuitiaq́ in Christum iacere, respondit: Octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam: quomodo possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit? Cúmque bestias diceret proconsul esse paratas, quibus obijceretur, nisi eum celeriter Christianismi pœniteret, dixit: Adhibeantur: nobis enim immobilis stat sententia, nec possumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari.

Apoc. 14.

Epist. 169.

Consulatur Eusebius lib. 4. Ecclesiastica hist. ca. 15.

Argumenta quædam partim ex scriptura de Iehu, partim ex D. Ambrosio petita soluuntur.

CAPVT TERTIVM.

QVid autē nobis Iehu proferunt ad exemplum mentiendi, quod seruum Baal se esse mentitus sit,

tus sit, vt eius cultores, Prophetas & Sacerdotes occideret? Ait enim ad populũ: Coluit pater meus seruos Baal parum: ego autem eum colam amplius. Iussit deinde parari sacrificium impium, & ad cultum sacrilegum publico edicto conuocauit. Nunc (inquit) Prophetas Baal & vniuersos seruos eius, & cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me: Nullus sit qui non veniat: Sacrificium enim grande est mihi Baal: quicunq; defuerit, non viuet. Porrò (vt sacra narrat historia) Iehu faciebat hoc insidiosè, vt disperderet cultores Baal. Hæc igitur eius insidiosa simulatio, mendaxq; professio, si probāda erit, iustius multo serui Christi, tempore persecutionis, seruos dæmonum se velle esse simulabunt, cum sit grauius à seruis dæmonum Christi seruos occidi, quàm insidijs cultores dæmonum circumuentos interire. Interfici enim isti iure potuerunt, sicuti & impium è medio tolli cultum oportuit. At illorum interemptio præter grauem admodum oppressionem innocẽtiæ, grauissimam & impijssimam habet eius cui seruiunt iniuriam, eo quod Christum persequi censendi sunt, qui eius membra persequuntur. Quid enim ob aliud dictum existimabimus Saulo in Christi discipulos sæuiẽti: Saule, Saule, quid me persequeris? Cum igitur sceleris & impietatis plena sit piorum oppressio, iusta autem esse possit impiorum: nónne iustius fuerit impium simulasse cultum, ne pij & Dei serui trucidentur, quàm vt impiorum noxia turba deleatur? Iustius erit sane, si fas vnquam erit ad eum modum impio mendacio alienum præ se ferre furorem. Sed hoc vt licere videatur propter Iehu commemoratum exemplum, tot sanctorum celebrata martyria non sinunt, etiamsi qualis ille Iehu fuisset, diuina omnino scriptura tacuisset. Nunc verò cum scriptum sit, eum non habuisse cor rectum cum Deo, sed adhuc vitulos Ieroboam coluisse: quid mirum est, si homo

4. Reg. 10.

ad-

adhuc impius, impiam & sacrilegam simulationem non vitauit? Et eius quidem non nego zelum aduersus impios esse remuneratum. Sed quid ei profuit (inquit Augustinus) quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit? Sed vt fuisset eius aduersus impietatem zelus rectus, sinceráque obediendi, hac saltem ex parte, voluntas, non esset tamen consequens, vt omne id probandum esset, quod ad implendæ diuinæ huius voluntatis modum excogitauisset. Nam & obstetricum illarum, quibus in Ægypto sunt vsæ Israeliticæ puerperę, studium humanissimum natos conseruandi, iure laudatum est, ac domorum seu familiarum ædificatione donatum: nec probari tamen earum mendacium potuit, quo ad crudelitatis euitationem consulendum putauerunt. Num & furtum laudabimus eius, qui subtrahat locupleti quod egeno largiatur, quoniam eius laudanda est erga pauperem misericordia? Frequens est vt affectu aut zelo non malo quippiam peragatur non bene: cum vel imprudentia se, vel temeritas, vel ignorantia miscuerit. Itaque si & Vercellensis Eusebius hac in parte deliquisset, cum sese Arianæ perfidiæ dixit consentire, vt habet sermo inter Ambrosianos septuagesimus, quo Dionysiũ Martyrem Arianorum fraudibus ad impiam subscriptionem pertractũ liberaret. Dixit enim, si quid memorato sermoni tribuendum est, hoc quidem sibi placere, quod illis, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præposuerint, grauiter se moueri: Vos enim (inquit) qui dicitis filium Dei patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis? Qua illi ratione permoti, statim sancti Dionysij chirographum deleuerunt, priorem subscribendi locum Beato Eusebio deferentes. Quos ille

Eusebij Vercellensis meminit historia tripartita lib. 6. cap. 23.

increpans & irridens, ait: Neque ergo me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare permitto. Si igitur (quemadmodum illius sermonis verba præ se ferunt) eiusmodi breuissima simulatione ac dolo mentiẽdi, beatus ille vir vsus est, intentione sincerissima, neque solus ipse, neque primus est in numero etiam hominum optimorum, qui maculæ quippiam per imprudentiam aut simplicitatem benefacere nitendo contraxerit. Quis enim neget Petrum Apostolum optima intentione fecisse, quod eum B. Paulus Antiochiæ fecisse commemorat? Prius enim (inquit) quàm venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius (inquit) consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab ijs in illam simulationem. Ergo Beatus Petrus dum effugere nititur Iudæorum offendiculum, qui nefas adhuc esse censebant Iudæo cum gentibus habere cõsuetudinem, neque posse Gentilem ad spem salutis admitti, nisi suscepto legis Mosaicæ iugo: hos (inquam) cum veretur offendere, imprudens Gentibus, inter quas versabatur, scandalum parat: dum eas exemplo facti iudaizare cogit, opinionémque confirmat iudaizantium, non posse Gentiles per Christum salutem consequi, nisi Christianę professioni legalis obseruatio misceretur. Hinc igitur illi ab Gentium Apostolo in faciẽ resistitur. Quoniam (inquit) reprehensibilis erat. An fortè & ipsa reprehensio, non vera, sed ficta & simulata fuit? Sed falsa esse scriptura non potest, quæ dicit: Quoniam reprehensibilis erat. Nec verò propterea Petrum corripuit Paulus, quod paternas traditiones obseruaret, quas adhuc Iudæis inter Iudæos obseruare licebat: donec iam mortuæ Christianis, tãquam ad sepulchrum etiam cum honore perductæ fuissent: sed quoniã gentes cogebat

Gala. ca. 2.

cogebat iudaizare, quod nullo modo posset (inquit Aug.) nisi ea sic ageret, tanquam adhuc etiam post Domini aduentũ necessaria saluti foret. Cum igitur & Petri Apostolorũ principis lapsum eiusmodi teneamus iure à Paulo reprehensum, nihil erit mirum, si se quoque Eusebius rectè simulaturum putauerit Arianismum, quo suum filium Dionysium lucrifaceret, præsertim cum non esset diu simulandi propositum, sed mox sese cum eorum confusione detegendi. Sanè (iuxta illius quidem historiæ fidem) si credidisset Beatus Eusebius negare suam licere sibi fidem, ad effugienda tormenta tyrannicæ crudelitatis, non hæc omnia tanta fortitudine pertulisset. Sic enim scriptum est in illo sermone: Dicitur inter cætera passionis genera, hoc pœnale passionis supplicium pertulisse, vt dum interrogaretur ab Arianis, & se eorum communicare perfidiæ denegasset, scalarum procliui tractu, supinis pedibus ad imum vsque pertraheretur: & iterum reuocatus ad summum, interrogatus denuò cum eadem respondisset, eadem pateretur: ac sic frequentem interrogationem, frequenter eiusmodi supplicium fuerit subsequutum. In qua passione sancti Eusebij Martyris, licet fuerit quassatum caput, elisum corpus, membra confracta, animus tamen fidei mansit inuictus: Nam quanto plus illum Ariana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis eum Catholica integritas corporaliter refouebat. Hæc ille adscriptus Ambrosio sermo, cum sit Maximi. In quo apud Maximum integro, ista quæ protuli non reperiuntur. Sed quoniam quisquis ille est narrationis huius author, scripturam profert, qua simulationem Eusebij probet, breuiter id quoque expediendum est. Ait sanctus Paulus, inquit: Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem. Ita Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est, vt de hæresi filium liberaret. Sic

Aug. epist. 8.9. & 19

1. Cor. c. 9.

nempe interpretatur Paulum Iudæis factum esse Iudæum, vt mendaci sit vsus simulatione erroris iudaizantium. Quam interpretationem refellit B. Augustinus, verumq́ue & genuinum Apostoli sensum eruditè persequitur. Quo loco inter cætera: Omnia (inquit) omnibus factus est Paulus, vt omnes lucrifaceret, non mentientis astu, sed compatientis affectu, id est, non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tanquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando. & infra: Iudæis tanquam Iudæus fiebat, quando eos ab illo errore, quo vel in Christum credere nolebant, vel per vetera sacerdotia sua, cæremoniarúmque obseruationes, se à peccatis posse mundari, fieriq́ue saluos existimabant, liberabat. Et rectè quidem ad hunc modum Augustinus. Nam & ijs qui sine lege erāt, se factum affirmat tanquam sine lege esset: Num igitur falsorum deorum se mentitus est esse cultorem? num aut Deum verum negauit mendaciter, aut ad impura sacrificia, Gentium more, properauit? Prorsus igitur & illis factus est, tanquam eodem ipse esset infælicissimæ cæcitatis loco, congruēs illis per misericordem compassionem, non per versipellem simulationem: sicuti fit sanus ægroto, tanquam ipse esset ægrotus: & pauperi diues, tanquam eadem ipse ægestate premeretur: Dum ille quidem ægroto sic compatitur, vt hoc impēdat humanitatis officium, quod sibi, si ægrotaret, impendi vellet: & hic tanquam si paupertatis ipse pondere grauaretur, ita pauperē benignæ liberalitatis solatio leuat. Sensum eundem Apostolicæ lectionis & ille commentarius expressit, qui D. Ambrosio inscribitur: Non videtur (inquit) quasi simulasse, vt omnibus fieret omnia, quod solent adulatores facere: sed non ita est. Vir enim diuinus & medicus spiritalis, sciens omnium caussas & vulnera, magna industria confouet illos & compa-

Epist. præcipuè 19.

compatitur. Sic & D. Chrysostomus eum ipsum in locum est commentatus: Non simulauit (inquit) neque enim lucrum quæsisset eorum qui salui facti sunt, si simulasset: perditionem hypocrita quærit, & vt accipiat, simulat, non vt det quicquam. Paulus autem non ita, sed tanquam medicus, tanquam magister, tanquam pater: medicus laboranti, magister discipulo, pater filio ad correctionem consentit, non ad damnum, ita & ipse. Et hic quidem Chrysostomus in fine libri primi de sacerdotio, Paulum ait fraude quadam, sed vtili, submisisse se quandoque legi, eiúsque consilij ratione multas Iudæorum myriades ad se allectauisse. Nempe docet ille non omne genus fraudis fugiendum esse, sed existere quoddam, quo & in bello aduersus hostes, & in pace erga amicos vti liceat: Huius (inquit) fraudis magna vis est, modo ne fraudulento animo fiat. Sed ipsam (inquit) tum ne fraudē quidem nominandam putauerim: verùm œconomiam quandam potius, ac sapientiam, artemq́ue, qua possis è medijs, iisque imperuijs, desperatarum rerum angustijs, difficultatibusq́ue, correctis emendatisq́ue animi vitijs, euadere. Eiusmodi fraudibus vti declarat & medicos, cum ægros contigerit adduci non posse, vt præscripta & necessaria remedia sumant. Hoc igitur genere fraudis, à quo procul est astus mentiendi, haud grauatim admitto Beatum Apostolum vsum esse: qui cùm legis vinculis per Christum esset expeditus, atque id de se certissimè sciret, tamen prudentissimo consilio inter Iudęos legis decreta seruauit, non seruare se finxit, ne non seruatę legis offensio, Iudæorum animos ab euangelio, quod prædicabat, cogeret resilire. Sed moueant non iniuria quempiam, quæ D. Ambrosius libro de pœnitentia primo disseruit: Diximus (ait) quid scriptum sit, colligamus sententiam. Omnis (inquit) qui me confessus fuerit, id est, ex quacunque vita, ex quocūque statu, qui me confessus fuerit, ha-

rit, habebit remuneratorem me confeſsionis ſuæ: Cum dicitur, omnis, nullus à remuneratione, qui fuerit confeſſus, excluditur. Non ſimiliter omnis qui negauerit negabitur. poteſt enim fieri, vt aliquis victus ſupplicijs, ſermone neget, corde adoret. Hæc imprimis verba nihil eorum cauſam adiuuant, qui tormenta non expectant, vt poſt victi & fatigati negent, ſed vltronea negatione præueniunt, vt euitent. Non eos excuſat Ambroſius, qui negandi meditantur diſciplinam: ſed eos quorum tormentis ceſsit infirmitas, cum ſtare in confeſsione fortes decreuiſſent. Deinde neque hos ſic excuſat vt culpam tollat, ſed vt minuat, ne, quemadmodum adiunxit, eadem cauſa putetur eius qui ſponte neget, & eius quem torméta inclinauerint ad ſacrilegium, non voluntas. Nam ſæpe (inquit) in hoc athletarum ſæculari certamine etiam victos, quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare conſueuit: maximè quos viderit aut fortè dolo, aut fraude exciſos victoria. Chriſtus ergo athletas ſuos, quos viderit grauibus pauliſper ceſsiſſe ſupplicijs, ſine venia patietur manere? Nunquid non habebit remuneratioñe laboris, qui etiã quos proijcit, nõ in æternũ proijcit? Audis hic veniæ cõmemorationem, cui nullus eſſe poteſt locus, niſi culpa præceſſerit. Ac ne paruã & leuem, & quaſi vnã de quotidianis culpam putes, vel in torm̃etis negaſſe, dicit eiuſdẽ libri de pœnitẽtia ca. 10. hũc qui ſic negauerit, ſemiuiuum relictum eſſe, tanquam ex vulnere grauiſsimo: ad eius ſimilitudinem qui incidit in latrones, ſed in eo tamen vitale adhuc aliquid fidem ſpirare: Qui (inquit) Deum penitus ex ſuo corde abijcit, ille mortuus eſt: qui ergo non penitus abijcit, ſed per impreſsionem tormentorum, ad tempus negauit, ſemiuiuus eſt. Diſputat autem hæc contra Nouatianos Ambroſius, qui lapſis omnibus in perſequutione ſubtrahebãt pœnitentiæ me-

tiæ medicinam : & in animas inusitata crudelitate sæuientes, eos quoque qui ex infirmitate cecidissent, sine spe pacis & reconciliationis, desertos esse patiebantur. cumq́; illud quod scriptum est: Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum corã patre meo; ad suæ crudelitatis comprobationem proferre solerent: negat Ambrosius de negantibus, vt de confitentibus, dictum eodem prorsus modo. Nam de confitentibus quidem latissimè patere sententiam, quæ omnes expressè complectatur: de negantibus verò, non dictũ esse: Omnis qui negauerit; sed, Qui negauerit; non quia nõ iure negari possit, quisquis negauerit: sed quod nonnulli essent negatores venia digni, qui fidem Christianam corde retinentes, hác per impressionem tormentorum, tristes atque inuiti negassent. de quibus & cap. 4. sic loquitur: Sicut dixit Iudęis, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me; fortassè & de quibusdam lapsis dicat: Isti labijs me negarunt, sed corde mecum sunt, vicit eos pœna, nõ auertit perfidia: Sine causa autem his aliqui veniã negant, quorũ fidem eousque consectatus persequutor est, vt eam studeret expugnare tormentis: Negarunt semel, sed quotidie confitentur: negarunt sermone, sed confitentur gemitibus: nonne ita istud est, ac si quis captiuum victæ vrbis populum abducat? Captiuus abducitur, sed inuitus, qui in alienas terras necessitate contendat, intimo non migret affectu: patriam secum animo vehat: quęrat copiam quemadmodum reuertatur. Quid ergo? cum reuertitur, num est aliquis qui persuadeat eum non recipiendum? minore honore, sed studio propensiore, ne habeat in quo insultet aduersarius. Similem habet D. Ciprianus de istiusmodi lapsis sententiam, qui per tormenta superantur: Quantum (inquit) ad animi mei sententiam pertinet, puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos constat stetisse in acie,

Vide ca. 2. in fine lib. primi de pænitentia.

Lib. 3. Epistola. 23.

acie, nomen Domini confeſſos eſſe; violentiam magiſtratuum & populi furentis incurſum, immobilis fidei obſtinatione viciſſe: paſſos eſſe carcerē, diu inter minas proconſulis, & fremitum populi circumſtantis, tormentis laniantibus, ac longa iteratione cruciantibus repugnaſſe: vt quod in nouiſsima infirmitate carnis ſubactum videtur, meritorum præcedentium defenſione releuetur, & ſit ſatis talibus gloriam perdidiſſe, non tamen debere nos eis & veniæ locum claudere: quibus exiſtimamus ad deprecandam clementiam Domini poſſe ſufficere, quod triennio iugiter ac dolenter, vt ſcribitis, cum ſumma pœnitentiæ lamentatione planxerunt.

Nefas eſſe per fictam venerationis ſimulationem, infidelium ſacris intereſſe.

CAPVT QVARTVM.

PORrò ſi nefas eſt aut veram verbo negare, aut falſam & alienam laudando prę ſe ferre fidem, neque id profecto licebit, prophanis infidelium ſacris intereſſe, ſeu ſacrilega ſeſe cum ijs communione coniungere. Quid enim intereſt, verbóne ac voce clara idolum te venerari dicas? án id ſacrificando, aut venerabundo alioqui geſtu & motu corporis, apertiſsimè præ te feras? Aut minus ſeſe hæreticum facto loquitur, qui hæreticorum frequentat cœnas ſacrilegas, quàm is qui illas probari ſibi verbo fateatur? Gentilium igitur ea fuerit philoſophorum præclara conſtantia, qui cum ſimulachra deos non eſſe viderent, neque ijs ſacrificari probarent magnopere, puriusq; faterētur coli deos ſine ſimulachris quàm cum ſimulachris: tamen popularem inſaniam in ſacrificijs ludisq; obſcœnis ſequebātur, & à promiſcua multitudine permultum opinione diſcreti, publicis nephandorum ſacrorum ritibus miſcebantur. Ipſos quoque dæmones, quos conſideratis eorum vitijs,

Vide Aug. lib. 8. de ciuitate Dei cap. 4. & initio lib. de vera religione.

vitijs, deos esse persuadere sibi non poterant, non indignos tamen re ipsa diuinis testificabantur honoribus, ne offenderent populos (inquit Aug.) à quibus ijs cernebant inueterata superstitione per tot sacra & templa seruiri. Sint hæc igitur eorum qui sine Deo & sine vera sapientia quondam philosophati sunt. At Christiani veri, contra proprium iudicium nunquã istiusmodi facienda putauerunt, propter populorum furorem, quos excitare aduersum seipsos vererentur. Quin potius ea palam coarguerunt, citiúsque subeundam mortem, quàm tale quicquam designaretur, non modò verbis verissimè docuerũt, verùm etiam factis fortibus præclarè testati sunt. Eorum vox est in Psalmo: Si obliti sumus nomẽ Dei nostri, & si expãdimus manus nostras ad Deũ alienum: Nónne Deus requiret ista? Quoniã propter te mortificamur tota die: ęstimati sumus sicut oues occisionis. Eaq́; fuit olim Ecclesiasticæ disciplinæ seueritas, vt qui vel metu tormentorum ac mortis sacrificassent, aut idola quoquo modo venerati essent, grauem subire pœnitentiam cogerentur. At non defuêre tamen Christiani nominis scriptores, qui & Ciceronem, si superis placet, hac in parte purgarent: dum eum niterentur etiam in cælo collocare: neque absurdum censerent, si eum beatam existimarent inter superos vitam agere. Quid ni? cũ adeò præclara & rara videatur instructus fuisse cognitione diuinitatis? At idolis immolauit? verùm id non ex suo iudicio fecit, sed ex consuetudine publica: quæ quoniam erat legibus confirmata, non poterat conuelli. Nam esse ficta quę de dijs ferebantur, vel ex Ennij sacra historia poterat cognoscere. Egregia verò & digna Christiano homine defensio hæc est: Etiámne scribi ista ab eo qui sacras litteras profiteretur, sine rubore potuisse? Quasi videlicet scriptum non sit, Sacrificans dijs eradicabitur, præterquàm Domino soli. Et

lib. 8. de ciuitate. ca. 22.

Consulantur Anciriani concilij canones vsq; ad decimum: & Niceni. 11.

Erasmus in ea præfatione qua præfixa est Quæstionibus Tusculanis apud Ciceronem.

quæ immolant gentes, dæmonijs immolant: Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Gratiam ille quidem & robur spiritus non acceperat, neque virtute fuerat indutus ex alto, vt posset etiam contempta morte, tantorum populorum tam obfirmatæ consuetudini reluctari. Nondum ijs temporibus fulserat euangelij lux, qua multo pòst frui licuit Christianis. Sed non quia Christiani crimen est multo grauius, idcircò illius nullum fuit: Qui si verũ, vt ille putat, Deum nõ ignorauit, mirũ est pro eius gloria non eũ existimasse faciẽdum, quod pro humana & sua facere non dubitauit, faciendumq́; suis etiam litteris indicauit. Ait enim in oratione pro Archia Poeta: Nisi multorum præceptis, multísque litteris mihi ab adolescẽtia persuasissem, nihil esse in vita magnopere expetẽdum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilij parui esse ducenda, nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Verùm hoc omisso, eiúsque multis similibus, quos non modo non excusat diuinitatis cognitio, verũ etiã accusat grauius: Quia cum Deum cognouissét (inquit Apostolus) non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorũ: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium, & coluerũt, & seruierunt potius creaturæ quàm creatori. His igitur omissis, Christianum certè excusare nemo potest, si is fide animo retenta, cultus impij ritũ simulauerit: neq; abs re Caietanus docuit cẽsuras etiam Ecclesiasticas eum incurrisse, qui actũ exteriorem infidelitatis sine interiori peregerit. Quod si licuisset aliquan-

Rom. ca. 1.

In 2. 2. quæst. 94. art. 1.

quando, non comprehensio, nõ interrogatio, non tormenta expectari debuissent: sed oborto persecutionis metu, vltro properare ad delubra deorũ & sacrificia, magnæ prudentiæ fuisset. Atqui hoc ipsum D. Cyprianus vrget vehemẽter ad exaggerationem criminis eorum Christianorũ, qui fuerant in persequutione lapsi. Non expectauerunt saltem (inquit) vt interrogati negarent, vt thus accenderent apprehensi: ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, vt sacrificare idolis viderentur inuiti: vltro ad forum currere: ad mortem sponte properare: quasi hoc olim cuperẽt: quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quot illic à magistratibus vespera vrgẽte dilati sunt? quot ne differretur interitus, etiam rogauerunt? Quam vim potest talis obtendere qua crimen suum purget? cum vim magis ipse fecerit vt periret? Nónne quando ad capitolium sponte ventum est, quando vltro ad obsequium diri facinoris accessum est, labauit gressus, caligauit aspectus, tremuerũt viscera, brachia conciderunt? non sensus obstupuit, sermo hæsit, lingua defecit? Stare illic potuit Dei seruus, & loqui, & renũciare Christo, qui iam diabolo renunciauerat & sęculo? Et diui quidem Cypriani hęc oratio, tametsi magnitudinem criminis eorum ostendit, qui nullo adhuc cõpellente, quasi phas esset, ad impium cultum accesserunt, fide nihilominus in cordis penetralibus inclusa: tamen generatim in eo delicti grauissimi rationem declarat esse sitã, quod renũciatur Christo, & cum diabolo rursum initur societas, cui antea renũciatum fuerat & sæculo. Quæ ratio criminis nec eos esse finit inculpatos, qui vel territi minis, vel fracti tormentis, corde licet ac animo repugnante, nefandis sacrificijs communicarunt, id est, adorare se & colere deos falsos, gẽtilitatis imitatione, simularunt. Vt igitur B. Petrus, cũ verbo negasset Christum,

postea fleuit amarè, animum licet à Christo nunquã gessisset auersum. Ita & B. Marcellus, vt alios multos taceã, graue de semetipso pœnitẽtiã, quod vel inuitus thurificasset, exegit: & Castus atq; Æmylius, (quorum D. Cyprianus meminit) in prima congressione deiecti, per pœnitentiæ dolorem, secundo in prælio victores euaserunt, vt fortiores ignibus fierẽt, qui ignibus antè cessissent, & vnde superati prius essent, inde iam superarent. Quid? quod ij quoque factum suum abolendum publica pœnitentia putauerunt, qui decepti, & nullius sibi culpæ cõscij, id simpliciter commiserunt, quod ad cultum prophanum pertinebat? velut cum Iuliani iussu milites, Romano more, donatiuũ accepturi ab Imperatore, thus in aram iuxta eum collocatam imponerent, quidam occasione legis & antiquitatis, ne mente quidem perceperunt quod commisere peccatum: & ijdem tamen pòst, inter cibos & pocula Christum inuocantes, admoniti quod eum frustra inuocarẽt, quẽ paulò antè, immisso in ignẽ thure, negauissent, mox in publicum exilierunt, cœperuntq; se proclamare Christianos, & ignorãtia facti lapsos, solamq;, si id dici possit, manum esse paganam, conscientia verò nihil simul egisse: Quin & aurum quod acceperant, ante principem proiecerunt, rogantes vt reciperet quod dedisset. Sed quæ nefaria fuit inter gẽtiles simulatio, ea inter hæreticos & schismaticos nihil est fortassè criminis habitura? Imò verò etsi non erit par impietas, vna tamẽ eademq; criminis est ratio. Cur sit idolo sacrificasse crimen, & schismaticas atque sacrilegas cœnas non sit crimen adijsse? Illic apertè & sine fuco Regi Christo renunciatur, hic sub Christi professione, Christus deseritur & negatur, dum ab eius corpore per schismaticæ professionis communionem receditur. Scriptum est à Iohanne: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum: nec Aue ei dixeritis.

Lib. 6. Tripar. hist. ca. 30.

Epist. 2.

Qui

Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Hoc si verissimè dictum est, quî fieri potest vt nō communicet operibus malignis hæreticorum & schismaticorum, qui in eo ipso sese illis adiungit socium, quo ab ecclesiæ corpore, & idcirco à Christo capite, disiūguntur? Admonet etiā Paulus, & dicit: Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate: probātes quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Si non licet igitur cum furibus, cum scortatoribus, cum ebriosis iūgi societate in eo ipso in quo perditè agunt, meritóque talis peccator Psalmistæ voce increpatur: Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas; multo minus liceat iungi schismaticis, in ijs præsertim, quæ propria schismatis esse noscuntur. An illa erunt opera tenebrarum, quæ terrena aliqua cupiditate patrantur: hæc quæ Christi familiæ & veritatis odiū excogitat, opera tenebrarum non erunt? Loquitur idem Apostolus alio in loco, & dicit: Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quę autē conuētio Christi ad Belial? quę pars fideli cū infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus: propter quod exite de medio illorum & separamini, dicit Dominus, & immūdum ne tetigeritis, & ego recipiam vos. Si igitur tenebrę sunt non solùm impia execramenta gentiliū, verùm etiā prophana conuenticula hæreticorū & schismaticorū: Si iniquitatis eadem plena sunt, & si à Belial duce ac principe gubernantur: fieri non potest vt illis Christia-

Ephes. 5.

Psalm. 49.

nus Catholicus misceatur, nisi & lucem cum tenebris, & iustitiam cum iniquitate, & Christum cum suo coniuratissimo hoste, societate iungi posse putemus. Denique quando Core & Dathan & Abiron, contra Aaron sacrificandi sibi licentiam vēdicarunt, per Moysen praecepit Dominus, vt ab eis populus separaretur, ne facinorosis coniunctus, eodem & ipse perstringeretur facinore.
Numer. 16 Separamini (inquit) à tabernaculis hominū istorum durissimorum, & nolite tangere ex omnibus quae ipsorum sunt, ne simul pereatis in peccato eorum. Hoc Dauid Propheta considerans, atque in semetipso officium & affectum pij fide-
Psalm. 25. lis exprimens, dicit: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum iniqua gerentibus non introibo. Qui & alio loco pronunciat, malle se abiectum esse in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum: vbi videlicet communione sacrilega maculari necesse sit. Dixerit hic fortassè quispiam sat esse, si quis animo & affectu separetur: neque id probet, aut consentiat in id, quod contra Ecclesiam fieri non ignoret. Scilicet quia de consensu dubitari potest, vbi operis voluntaria communicatio cernitur. Etenim si voluntarium est, nec graui culpa vacat, quod vel inuitus quispiam, & adactus supplicij comminatione, vel Christum negat, vel idolo sacrificat: non potest à crimine voluntas aliena videri eius, qui sese vltro ingerat in schismatis communionem, etiamsi secessionem improbet: ac quod foris contra Ecclesiam agitur, id fieri Catholico ritu in Ecclesia censeat oportere. Sunt autem quos allicit ipsa nouitas, vel impellit admiratio popularis, vt se haereticorum coetibus inserant, velut sermonis audiendi gratia. Quae & ipsa est nefaria communio, & periculi plena curiositas. Vnde cum Eunomius, vir callidus, & dicendi peritus, virus suum publicis concionibus spargeret: multique

tique (vt fit) audiendi eius gratia confluerent, alij hominem experiri volentes, alii quid diceret audire; atque hac fama excitus quoque Theodosius, adire eundem Eunomium, eiúsque auditor esse vellet: prudentissima eius coniux Placilla, domi eum retinuit. Nimirùm quia & concursus, præsertim principum, erroris ministro authoritatem conciliat, atque non mediocriter attollit animos: & quia nouitius error plausibili sermone propinatus, non instructissimam mentem aut capit, aut perturbat facillimè. Neque de nihilo ab Apostolo Gentium non vulgaris modo quispiam è plebe, verùm etiam Episcopus ipse Timotheus, istiusmodi verbis admonitus sit: Prophana & vaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum, vt cancer serpit. Horum igitur cum hæreticis & schismaticis istiusmodi communicatio, & participatio sacrilegæ secessionis, licet insidiosam & fallacem non habeat simulationem, vt tales videri velint, ideoq; minus habeat culpę: crimine tamen graui carere non potest. Est etiam notandum, quod ait D. August. aliam esse causam eorũ, qui in hæreticos & schismaticos imprudenter incurrunt, ipsam esse Christi Ecclesiam existimãtes: aliam eorum qui nouerunt nõ esse Catholicam, nisi eam, quæ (sicut promissa est) toto terrarum orbe diffunditur: & cum hoc nouerint, eligunt, extra communionem vnitatis corporis Christi, accipere baptismum Christi, ad eandem communionem, cum eo quòd alibi acceperint, posteà migraturi: Scientes enim (inquit) habituri sunt aduersus Ecclesiam baptismum Christi, vel eo ipso die, quo accipiunt. Quod si sceleratum est, quis est qui dicat: Permittatur mihi vno die scelus admittere? Si enim transiturus est ad Catholicã: quæro causam. Quid aliud responsurus est, nisi quia malum est esse in parte Donati, & non esse in Catholica vnitate? Hoc igitur ma-

Epist. 2. ad Tim. cap. 2.

Aug. lib. 1. contra Donatistas ca. 4. & 5.

lum quot diebus feceris, tot dierum malum facturus es: & dici potest maius malum fieri plurium dierum, minus autem paucorum: nullum autem malum fieri, dici non potest. Quid autem opus est hoc tam execrabile malum, vel vno die, vel vna hora committere? hoc enim qui sibi concedi vult, potest ab Ecclesia, vel ab ipso Deo petere, vt sibi vel vno die apostatare concedat. Nam cur vnius diei esse apostata timeat, & vnius diei esse schismaticus, hæreticúsue non timeat: nulla causa est. Illi verò qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipsam esse Ecclesiam Christi, in istorum quidem comparatione minus peccant, sacrilegio tamen schismatis vulnerantur, non ideò non grauiter, quod alij grauius. Hæc Augustinus. Et quo plenius perspiciatur, cur tantum in eo sceleris constituat, quod apud schismaticos atque in ipsa diuisione suscipiatur baptismi sacramētum (idem autem iudiciū est, si quis cęteris eorū sacris interfit, etiāsi Catholico ritu peragantur,) adiungenda est D. Cypriani de scelere schismaticorum oratio, quam habet in eo libello, quem scripsit de simplicitate prælatorū: Vitate (inquit) quæso, vos eiusmodi homines, & à latere atque auribus vestris perniciosa colloquia, velut contagium mortis arcete, sicut scriptū est: Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Et iterum: Corrumpunt ingenia bona, confabulationes pessimæ. Docet Dominus, & admonet à talibus recedēdum: Cæci sunt (inquit) duces cæcorum. Cæcus autem cæcū ducens, simul in foueam cadent. Auersandus est talis, atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Peruersus est huiusmodi, & peccat, & est à semetipso dāmnatus. An esse sibi cū Christo videtur, qui aduersus sacerdotes Christi facit? qui se à cleri eius & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, cōtra Dei dispositionem repugnat; hostis altaris aduersus sacrificiū Christi re-

sti rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus, contemptis episcopis, & Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicę hostiæ veritatē per falsa sacrificia profanare: nec dignatur scire, quoniam qui contra Dei ordinationem nititur, ob temeritatis audaciam, diuina animaduersione punitur. Sic Chore, & Dathã, & Abiron, qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pepēderunt. Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit, stãtes atque viuentes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantũ eos qui auctores fuerant, Dei indignantis ira percussit: sed & cæteros ducētos quinquaginta participes eiusdem furoris & comites, qui coagulati cum ijsdem simul ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis properata vltione consumpsit; admonens scilicet, & ostendens contra Deum fieri, quicquid improbi fuerint ad destruēdam ordinationē Dei humana voluntate conati. Et ad eum quidem modum Cyprianus. Vt igitur illicita est schismatica secessio, & cœtus ij nepharij, atque (vt Cyprianus loquitur) conuenticula perditarum factionum, quę aduersus Catholicam vnitatem celebrantur: & altare prophanum, quod contra altare Catholicæ pietatis erigitur, & preces alteræ illicitæ, quæ contra Dominum & eius ordinationem, separatim ab Ecclesia Dei, & Christi spõsa, spiritu dissensionis offerũtur: ita Catholicis nefas est interesse, etiamsi quod illic accipitur vel auditur, sanctũ sit ac bonum, & Christi, nõ ipsorum. Potest enim quod bonum est, accipi non bene: vti profectò non bene, sed sceleratè prorsus accipitur, si non modò cum offendiculo fratrum, quos quantum in nobis situm est, exemplo nostro subuertimus; nec solum cum Ecclesiæ Christi in-

iuria graui, cuius ſic aduerſariá noſtro concurſu & præſentia honoramus: verùm etiam cum ipſa in ſchiſmate conſociatione, & nephariæ diuiſionis participatione, quod bonũ & ſanctũ eſt, accipitur. Quin & ipſis ſacramentorũ notis ac ſymbolis, cũ ijs colligamur, & vnũ reipſa corpus efficimur, cum quibus in ſacramẽtis ijſdẽ, ac precationibus communicamus. Quippe ſacramẽta & vincula ſunt vnitatis, & ſigna. Idcirco B. Apoſtolus, enumerãs ea quę ad Chriſti corporis faciunt vnitatẽ & compagẽ, præter vnum Deũ, & vnum redemptorẽ Chriſtum, vnamq́ꝫ omnium fidẽ & ſpem, etiã baptiſmi poſuit ſacramentum: ſub eo proculdubio cætera quoque ſacramẽta volens intelligi. De quo & alio in loco dicit: Omnes in vnũ corpus baptizati ſumus. De Euchariſtia verò ſcriptũ eſt ab eodẽ: Multi vnum corpus ſumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Hæc igitur cum vnitatis & vincula & ſigna ſint, cum quibus vnũ eſſe non poſſumus, cum his conſociari & cõmunicare, in illis nullo pacto debemus. Si proinde per hæc ipſa ſe quiſquam cum hæreticis & ſchiſmaticis ſocietate coniunxerit, is profecto ab Eccleſię vnitate atque viſceribus ſemetipſum auulſiſſe nõ fruſtra videbitur. Cum etiã conſtet ſoli Eccleſiæ Chriſtianę ſacra & ſacramenta iure competere: quippe cui ſoli à ſponſo Chriſto tradita ſint: efficitur hæc ipſa extra communionem Eccleſię & in ſchiſmate illicitè vſurpari, ſiue ab ijs qui ſe per ſchiſma diuiſerũt, ſiue ab ijs qui cum illis in eiuſmodi rerum vſu communicãt. Et ſunt quidem eiuſmodi nonnulla, quæ foris accipiũtur, quoniam & foris habentur: velut baptiſmus, velut Euchariſtiæ ſacramentum, quod etiam extra Eccleſiã ea poteſtate conficitur, quam ſecum foras extulit, qui ſe ab Eccleſia ſegregauit. Idcircò baptizati in ſchiſmate, ſi ad Eccleſię redierint vnitatem, rebaptizandi non ſunt, ſed per manuum impoſitionem, pœnitentes recipiẽdi. Quædam

dam autẽ foris accipi non possunt,quia nec remanent foris: vt absolutio à peccatis,& quæcunq; iurisdictionis potestate tradũtur. Siquidem eo ipso, quo sese aliqui, semetipsos iudicantes, segregant, atque à communione Ecclesiæ matris palam abrumpunt,ius omne Ecclesiasticæ potestatis amittunt; quod soli constat Ecclesiæ (vt suprà dixi) competere. Sola quippe est, quæ in Petro Apostolorum principe claues accepit: quemadmodum (præter B. Augustinum & Ambrosium) Optatus quoque Mileuitanus asseruit, libro primo contra Parmenianũ. Diui quoque Cypriani non improbata sententia est: Qui nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo atque à sacerdotum collegio separat,episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus ~~nec vnitatem~~ voluit tenere,nec pacem. lib.4. Epistolarum, Epistola 2. Quamobrem si quis absolutionis gratia schismaticũ adeat sacerdotem, non modo rem illicitam facit, verùm etiam cum irrita & falsa pace dimittitur: baptisma verò,si quispiam postulet in schismate,atque id sic administretur, vt in forma sacramenti non discedatur ab instituto Christi,nõ sine crimine quidem is sacrilegę communionis id egerit,at redit ille tamẽ baptizatus. Est autem quod attinet ad baptismum, & reconciliationis sacramentum (quæ duo sunt ad salutem necessaria) vigilanter illud animaduertẽdum, si extrema necessitas inciderit imminente morte, vt vel sine baptismo, vel sine reconciliatione sit ex hac vita migrandum; vel ab hęretico & schismatico sacramentũ vtrumq; poscendum; posse tum inter schismaticos vtrumq; suscipi,pace Catholica in animo conseruata. Neq; enim tum communicatur schismati, sed Ecclesiæ matri,cuius in tanta necessitate,minister est etiam schismaticus. Sicuti si quispiam erit hereticus episcopus vel pastor, quem adhuc Ecclesia toleret in

Ambr. lib. 1. de pœnitentia cap. 2. & 6.

ministerio: quisquis ab eo vel baptizabitur, vel absoluetur, non eius hęresi communicabit, sed Ecclesiæ Dei, à qua in ministerio toleratur. Quãobrem decretum est in Synodo Cõstantinopolitana ea quæ octaua est inter œcumenicas, ne clericus quisquam ante diligentem examinationem & synodicam sententiam à communione proprij patriarchę se separet, licet criminalem quãlibet causam eius se nosse prætẽdat: nec recuset nomẽ eius referre inter diuina mysteria. Vt autem putemus in extrema, de qua dictum est, necessitate, baptismi sacramentum etiam ab apertè schismatico peti posse, facit Augustinus, qui tametsi magnum illius crimen existimet, qui sciens & prudens ad schisma se conferat, baptismi gratia suscipiendi, protinus eo suscepto, ad Catholicam rediturus, quemadmodum ex suprà citatis eius verbis cognosci potuit; idem ipse tamen in eo libro quem de baptismo scripsit contra Donatistas, hæc verba reliquit: Si quem fortè coegerit extrema necessitas, vbi Catholicum per quem accipiat non inuenerit, & in anima pace catholica custodita, per aliquẽ extra vnitatẽ catholicã positũ acceperit, quod erat in ipsa Catholica vnitate accepturus: si statim etiam de hac vita migrauerit, nõ eum nisi Catholicum deputamus. Si autẽ fuerit à corporali morte liberatus, cum se Catholicę congregationi, etiam corporali præsentia reddiderit, vnde nunquã corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè verissimeq; laudamus: quia præsentẽ Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat, & sine sancti baptismi sacramento, quod vbicũque inuenit, non hominũ, sed Dei esse cognouit, noluit ex hac vita migrare. Hæc Augustinus. Quæ autem baptismi, eadem & reconciliationis est ratio, præsertim cum & schismaticus sacerdos ratam & efficacem sit absolutionem impensurus in eiusmodi necessitate, sicuti & quiuis

Canon. 10.

Cap. 2.

simplex

ſimplex ſacerdos, ſiue id fiat iure poſitiuo: quia pia mater Eccleſia hanc facultatem velit omnibus ſacerdotibus tunc eſſe communem, quemadmodum nonnulli ſentiunt, ſiue (quod eſt veriſimilius) iure diuino. Cum enim ius hoc Sacerdotibus abſoluendi poteſtatem cõcedat, citra reſtrictionem aut determinationem perſonarum, ſed pòſt Eccleſię authoritate, iuſtiſsimis de cauſis gregum Chriſtianorum diuiſio facta ſit, certaq́; vnicuique paſtori deſignatio perſonarum, quas erga paſtoris officio fungeretur: conſequẽs eſt, vt in articulo neceſsitatis ad illam diuini iuris indeterminationem, permiſsionémque redeatur. Quemadmodum vrgente neceſsitate famis reditur ad naturæ legem, quæ, quantum in ipſa eſt, facit omnia communia, nec huius poſſeſsionem ab illius poſſeſsione diſiungit. Iure quippe humano quiſque dicit: Hoc meum eſt, illud tuum. Atque vt poſſeſsionum, dominiorúmque fieret inter homines iſta diſcretio, Reipub. tranquillitas, & pacifica inter mortales communicatio, & conuictus, atque omnino ſocietatis in hac naturæ deprauatione ratio poſtulabat. Verùm vti hæc legibus humanis conſtituta poſſeſsionum diſtinctio, legi naturæ præiudicare non poteſt, quæ omnia facit in neceſsitate communia: ita nec illa Eccleſiaſtica poteſtate facta diuiſio gregum Chriſtianorum & parœchiarum: qua fit vt quiuis ſacerdos alium quemcunque nequeat abſoluere, præiudicare non poteſt diuino iuri; quo cuiuſque ſaluti proſpectum eſt de vſu tam neceſſariæ poteſtatis, quando neminem ſubtraxit pœnitentem cuiquam ſacerdoti, ſed quantum in ipſo eſt, in quoſlibet exerceri permiſit conceſſam abſoluendi poteſtatem. Sed hæc tractare prolixius, non huius eſt inſtituti. Sit igitur hoc conſtitutum, cum ſchiſmaticis & ſeparatis hæreticis, in ijs quæ ſacra ſunt, communicare nephas eſſe. Hinc

Historiæ Eccleſ. lib. 6. cap. 2. ab Euſebio laudatur Origenes, quod adhuc pene puer cum ad Paulum Antiochenum, hæreſeos famoſiſsimum ſectatorem, immenſæ multitudines conuenirent, non ſolum hęreticorũ, verùm etiam Catholicorum non paucorũ, flecti ille nõ potuit, vt cum eo ſaltẽ in oratione cõſiſteret: Ita (inquit) illi à prima ætate Eccleſiaſticæ regulæ obſeruãtia honorabilis fuit, & hæreticorum ſocietas execrabilis, ſicut ipſe in quodam loco operis ſui dicit, quia hęreticorum execranda doctrina eſt. Hinc & in eccleſiaſticis hiſtorijs, tot ſanctorũ vel fugę, vel paſsiones, & liberè aut facta, aut dicta multa celebrantur, ne cõmunicarent cum hæreticis Arianis.

Epiſt. 69. Ipſe quoque teſtis eſt Baſilius, plurimis in ciuitatibus populum cum mulieribus, & pueris, ipſiſq; ſenibus, ante portas effuſum, ſub dio preces fundere ſolitum, omnes aëris iniurias magno animo ſuſtinere, nec oratoria hæreticorum ingredi velle.

Cap. 3. Denique D. Aug. cõtra Epiſtolã fundamenti Manichęi ſcripturus, prętatur mitiſsimè ſe cũ illis acturum, nihil durius acerbiúſue dicturum, & omninò ſeſe, quoad liceat, accommodaturum: Hac tamen (inquit) lege ſeruata, vt vobiſcum non orem, vt conuenticula vobiſcum non celebrem, vt Manichæi nomẽ non accipiam. Quod enim ſemel dictum, iterum D. Cypriani verbis commendandum

Epiſt. 11. eſt: Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum ſacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcunque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Procul ab eiuſmodi hominum contagione diſcedite, & ſermones eorum, velut cancer & peſtem, fugiendo vitate. Et

Prima ad Timo. 6. infra: Inſtruit Apoſtolus, dicens: Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis verbis Domini noſtri Ie-

ſtri Ieſu Chriſti, & doctrinæ eius, ſtupore elatus eſt; diſcedendum ab huiuſmodi. Et iterum dicit ipſe: Nemo vos decipiat inanibus verbis; pro- *Ephe. 5.* pterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ, nolite ergo eſſe participes eorum. Vt igitur de Eccleſiæ legibus ac cenſuris nihil hoc loco dicamus, ex ipſa ratione, & Apoſtolica doctrina, omninóque ex diuina lege perſpicitur, in ſacrilegis hæreticorum & ſchiſmaticorum ſacris, cum eis nullo pacto communicandum eſſe: Cum autem illud acceſſerit, vt ab eorum etiam ſe quiſquam partibus ſtare fingat, ſeceſsionémque vel dogma hæreticum probari ſibi etiam verbo confirmet, cui dubium eſſe poteſt, quin grauior multo ſacrilegæ communicationis culpa reddatur? At, inquis, prouenire inde aliqua poteſt vtilitas, vt nimirùm dum hoc pacto inimicorum arcana innoteſcunt, doceantur poſteà, reuocenturq; facilius, aut certè apud Catholicos validius reuincantur. Verùm hoc nihil (inquam) eſt aliud, quàm ſi dicas: Mentiamur, vt hæreticos mendaces adducamus. Hoc autem quid eſt, niſi quod damnat Apoſtolus: Faciamus mala, vt eueniát bona? Deinde & hoc ea res habet nocumenti: Si enim hæreticos nos eſſe mentimur, quia eorum tanquam noſtra ſimus dogmata laudaturi; quiſquis ea crediderit, moremq; viuendi & colendi ritum ſimilem animaduerterit, aut confirmabitur apud eos, aut ad eos celeriter transferetur. Quid autem hora ſuperuentura pariat, vt inde poſteà liberentur, vera dicentibus nobis, qui nobis fallentibus decepti ſunt; & vtrum audire velint docentem, quem ſic experti ſunt mentientem, quis (inquit Auguſt.) nouerit certum? quis hoc eſſe ignoret incertum? Qui igitur eiuſmodi ſimulatione prodeſſe nituntur, certam quidem verbo & exemplo perniciem adferunt, dum aut firmant in errore, aut in errorem pertrahunt, aut infirmis dubitatio-
nem

nem faciunt, fructus verò expectationem habent incertam: præsertim cum ij, qui se deceptos simulatione senserunt, magis illos simulatores posteà odio dignos iudicent, quàm sequendos arbitrentur. Quamobrem ne illud quidem in Constantio Cōstantini patre probauero, si tamē euenit, quod libro 1. cap. 7. Tripartitæ historiæ ab Zozomeno refertur in hunc modum. Is probare volens quosdam in suo palatio Christianos, si boni & solidi essent viri, euocans vniuersos præcepit dicens, vt si quidem venirent ad sacrificādum, eiúsque colerēt deos, circa eum essent, & in cingulo permanerent. Si verò refugerent, egrederētur de palatio, gratias agentes quod minimè punirentur. Cumq; in vtroque apparuissent, alij quidem religionis desertores, alij verò diuina præsentibus præponentes, deliberauit ijs amicis & consiliarijs vti, qui in melioribus fideles constantesq; permanserant: Alios autem velut effæminatos auersatus, expulit à suo colloquio: credens nunquam eos erga principem fidos fore, qui fuerint Dei sui sic promptissimè desertores. Hoc igitur si Constantius fecit, (neque enim Zozomeno multum in historia sedes Apostolica tribuit) quāquam vtilitatem spectauerit aliquam, quid aliud tamen quàm infirmos tentauit quorundam animos, atque impulit ad ruinam, & quantum in ipso situ̅ fuit, omnes ad idololatriam incitauit? Beatus autē Apostolus, quātopere vitari vellet istiusmodi offendicula infirmoru̅, declarauit in priore ad Corin. ca. 8. dicens: Si quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nónne conscientia eius cu̅ sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua cōscientia frater, propter quē Christus mortuus est? Sic autē peccātes in fratres, & percutiētes conscientiā eoru̅ infirmā, in Christu̅ peccatis. Quapropter si esca scādalizat fratrē meu̅, nō manducabo carnem in æternum, ne fratrē meu̅ scādalizem.

Ipsam historiā (ait Gregorius) sedes Apostolica recipere recusat, quoniā multa mentitur Epist. 195. ad Eulogium Episcopum Alexand.

Quod

Quòd Christus Dominus etiam assumpserit similitudinem carnis peccati, non se tamen simulauerit, aut mentitus sit peccatorem.

CAPVT QVINTVM.

HIc nobis obiecerit quispiam ipsius Christi omnium saluatoris simulationem, & si non verbi, saltē facti & operis vtile mendacium: quod videlicet cum peccator non esset, tamen susceperit similitudinem carnis peccati, & tanquam peccator non modò infantulus circuncisus sit, verùm etiam postea à Iohanne baptismo pœnitentię baptizatus: omnia verò hæc, vt peccatores faceret saluos. Quod si ita est, cur non ad similem modum liceat schismatis in obseruatione facti, subire speciē ad schismaticos lucrifaciendos? Ac propter ipsam quidem peccati similitudinem, in qua de peccato damnasse peccatum diceretur, calumniabantur Pelagiani, dici à Catholicis Christū carnis necessitate mentitum. Sed absit (inquit Aug.) vt iustum aduocatum dicamus, sicut isti calumniantur, carnis necessitate mentitum: sed dicimus eum in similitudine carnis peccati, de peccato damnasse peccatum. Quod fortasse isti (inquit) non intelligentes, & calumniandi cupiditate cœcati, quàm diuersis modis peccati nomen in scripturis sanctis poni soleat, ignorantes, peccatum Christi affirmare nos iactant. Dicimus itaque Christum & nullum habuisse peccatum, nec in anima, nec in carne, & suscipiēdo carnem in similitudine carnis peccati, de peccato damnasse peccatum. Quod subobscurè ab Apostolo dictum, duobus modis soluitur. Siue quia rerum similitudines soleant earum rerum nominibus nuncupari, quarum similes sunt, vt ipsam similitudinem carnis peccati, voluisse intelligatur Apostolus appellare peccatum. Siue quia sacrificia pro peccatis, peccata appellabantur in lege, quæ omnia figuræ fuerunt

Lib. 3. contra 2. Epistolas Pelagianorum cap. 6.

Rom. 8.

carnis

carnis Christi, quod est verum & vnicum sacrificium pro peccatis: his (vt opinor) Augustini verbis docemur, nō sic Christum carnis similitudinē suscepisse, vt se mentitus sit peccatorem: quod si fecisset, nec ipse haud dubiè peccato caruisset, alienæ quantūlibet salutis causa factū diceretur. Quāquam enim interest plurium rebus in agendis, qua causa, quo fine, quáue intentione quidque fiat: ea tamen quæ suapte natura constat esse vitiosa (quo in genere mēdacium reperitur, siue hoc in verbis, siue in factis insit) nullo bono causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Sed quis aduocatum nostrum & mediatorē Christum dixerit intentione fallendi carnem suscepisse, carni peccatrici, excepto peccato, persimilem, quò nimirum, expers vitij cum esset, peccator crederetur? Est autem in eo culpa mentiētis quod fallere velit, siue fallat, siue non fallat, aliudq; gerat animo, & aliud verbis siue quibuslibet significationibus enunciet. *Sæpe* enim mentitur aliquis, etiam si neminem fallat: Sed & multos falli contingit ex eo, quod tamen sine mendacio vel fiat, vel dicatur. Tametsi multos igitur cōspecto Christo, propter mortalem eius carnē ita falli contigerit, vt peccator esse crederetur: non tamen vt hoc persuaderet, voluit peccatorū esse similis, sed vt peccatores ab eo malo, cuius ipse gerebat quandam similitudinē, liberaret: perinde ac si quispiam militari habitu sumpto, castra ingrederetur, non quo putaretur miles, sed quo suorum quempiam à castris reuocaret, in quibus versari periculosè videretur. Vt enim non quisquis militi similis est, continuò se is militem esse mentitur aut simulat: ita consequens non est, vt qui peccatoris similitudinem gerat, is se quoque mentiatur aut simulet esse peccatorem. Vt Christum Iudas osculatus est, ita & Iudam Christus. Similis ex vtraque parte facti species, & in hoc Christus Iudæ similis: sed

Aug ca. 3. lib. de mēdacio. Et enchiridij ca. 22 Omnis qui mētitur (inquit) cōtra id quod animo sonat loquitur voluntate fallendi.

Amb. super illud: Et osculatus est eum.

ſed ille mentitus eſt ſe amicum, oſculo fallaci amicitiam ſimulans: Chriſtus autem nec ſimulauit quod non erat, nec ſimulare nos docuit, ſed noluit proditorem fugiſſe videri, quin plus etiam afficere & mouere voluit, cui amoris officia non denegauit. Illud quoque attendẽdum eſt, nunquam ita ſe Chriſtum attẽperaſſe ad peccatorũ mores, neque ea ſe peccatoribus ſimilitudine cõiunxiſſe, vt fieret aliquando peccati particeps, eáque ipſa faceret cum hominibus, propter quæ ſunt & dicũtur peccatores, vt eorũ hoc pacto conſuleret ſaluti. Quomodo enim non potius vnà peccando, tenuiſſet in delictis? quomodo non ſerò poſteà reuocaret, qui prius eadẽ ipſe feciſſet? Contrarijs potius curauit contraria, & ſimilis in multis quæ fieri ſine peccato poterant, in cæteris præbuit ſeſe diſsimilẽ, noſtríſque vitijs ſuas vbique virtutes oppoſuit, noſtráque vitia ſuis ſemper virtutibus coarguit quodammodo. Nunquid igitur ita peccatorem ſe Chriſtus iuſtus ſimulauit, vt iſti ſchiſma, aut hęreſim, aut idololatriam ſimulari phas eſſe, aut etiam oportere arbitrãtur? Sociãtur enim hi cõmunione operis eius, vnde reuocare ſe alios poſteà poſſe fruſtra ſperant: nec magis ſchiſmaticę ſeparationis aut impij cultus maculã effugere queũt, quàm crimen euitaret, qui cũ ſcortatoribus ſcortaretur, aut cum temulentis ſe ipſe expleret, aut cũ furibus aut prędonibus curreret, hoc animo, vt illos poſteà ab eiuſmodi peccatis auocaret. Iam verò quod & circunciſus eſt & baptizatus, quanquam neque eſſet in corde quod circunciſio detraheret, neque quod repurgaret gratia, non mendacium, ſed myſterium fuit. Cauſam quippe noſtram ipſe ſuſcipiens peccatores in ſe transfigurauit, vt doceret hoc modo nos ablutione & circunciſione indigere. Hoc igitur facto præſtitit, quod Paulus verbo, cum ſcriberet alios dicere: Ego ſum Apollo; alios, ego Pauli; alios, ego Cephę, non quod ita loquerẽtur,

aut ijs nominibus vterentur: Sed hæc (ait Apostolus) transfiguraui in me & Apollo, vt in nobis discatis ne quis aduersus alium inflетur pro alio. Quanquam persona hæc peccatoris, non in factis modo saluatoris nostri, verùm etiam interdum in verbis spectanda sit. Nã quo alioqui modo dicere putandus est quod loquitur in Psalmo: Longe à salute mea verba delictorũ meorum? Nempe delicta nostra sua vocat, quod peccatorum causam & personam susceperat. Huius in Dauide figura præcessit, qui apud Achis regem simulauit amentiam. Immutauit enim os suum (ait scriptura) coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebántque saliuæ eius in barbam: vsque adeò vt commotus Achis ad seruos dixerit: Vidistis hominẽ insanum? quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi? Quod Dauidis factum, cùm eo refertur ad quod præcipue significãdum diuinitus ab eo susceptum est, mysterium, non facti mendacium esse, sublimi quadam consideratione perspicitur. Hic enim ille figurabatur, qui propter nos immutatus, stultitiæ & insaniæ criminationem non effugit. Ac generatim, sicuti annotauit Augustinus, quicquid figuratè aut fit aut dicitur, non est mendaciũ: quia omnis enunciatio ad id quod enunciat referenda est. Omne autem figuratè dictum aut factum, hoc enunciat quod significat eis, quibus intelligendum prolatum est. Proinde nec ea fuisse videbitur mendax simulatio, qua ad ficum tanquã poma quæsiturus accessit: quæ tamen in arbore nulla esse, vel ex ipso anni tempore scire potuerat. Cæterũ quod diua Virgo purificationis cęremoniam secundum legis præscriptũ obseruarit, cum tamen ipsa purgatione non egeret, quæ suscepto semine non peperit, plus habere videri posit quæstionis: eo quod tale quiddam de ea, quale supra de Christo diximus, non temerè fortasse videatur esse cogi-

Lib. 1. regum c. 21.

Cap. 5. lib. de mendacio.

cogitandum: vt videlicet parientium communem personam portauerit, atque significarit in se, qua purificatione indigerent omnes, quæ suscepto semine parerent, & non sine carnis delectatione conciperent: sicut in sua persona filius significauit, qua circuncisione indigerent omnes, qui non concipiuntur sine voluntate carnis, & ideò nec sine peccato nascuntur. propter quod dictum est: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Quanquam si cui hoc probatum sit, non habeam vnde facilè reuincatur: præsertim cum dicat Venerabilis Beda: Vt nos à legis vinculo solueremur, sicut Christus, ita Beata Maria legi est spontè subiecta: non propter se igitur, sed propter nos purificationis legem beata Virgo seruauit. Nec verò sum nescius esse veteres nonnullos, qui omnem hunc purgationis ritum non ad matrem, sed ad natum referant: vnde illa sunt apud Leonem Epistola quarta ad Episcopos per Siciliam constitutos: Dominus (inquit) nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari quomodo voluit circuncidi, hostiámque pro se emundationis offerri: vt qui factus erat ex muliere (sicut Apostolus ait) fieret & sub lege, quam non venerat soluere, sed adimplere, & implendo finire. Ante Leonem quoque vehementer hoc D. Augustinus astruxit in quæst. super Leuiticum: Nec verò horum sensum repudiare quorundam more possimus, sed venerari debemus. In eóque nihil patimur nouæ difficultatis, cùm, quod ad Christum attinet, sic debeat intelligi purificatus, vt & baptizatus, & circuncisus. Sed quoniam promptius est, vt de mulieris purgatione Leuiticus loqui videatur, dici poterit aliam seruandæ legis causam Beata Virgo sequuta, quàm legalem illam carnis emundationem, nimirũ vt eius temporis sacrificio coleretur Quæst. 40. cap. 12.

Deus, gratiæq; agerentur à puerpera. Adde quod omne sacrificium legis veteris, Christum significauit. Quare & illa emundationis oblatio, præfigurauit Christum, quatenus per eum à carnis cõcupiscentia repurgamur. Cur igitur non hoc quoque beata virgo veracissimè significaret, cum & ipsa inde purgationem traxerit vnde concepit, & per eum quidem ipsum quem concepit?

Leo serm. 2. de Nati. Domini.

Soluitur obiectio de Naaman Siro, & Salomone.

CAPVT SEXTVM.

4. Regũ 5.

MOueat deinde fortasse quempiã de Naamã Siro diuinis literis scripta historia. Is enim cum esset ministerio Helizæi, lepræ contagio liberatus, velletq; in posterũ Dei cultor esse, ad quem iam esset repudiata superstitione conuersus, quod eũ angere posteà potuisset, id voluit prophetæ iudicio terminari: Hoc solum est (inquit) de quo depreceris Dominum pro seruo tuo. Quãdo ingreditur dominus meus tẽplum Rẽmon vt adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi dominus seruo tuo pro hac re. Cui propheta vno verbo omnẽ scrupulum eximens, respondit: Vade in pace, hoc ẽst, nihil, id si facias, peccaueris. Est enim ridiculum quod annotauere nonnulli, quæstionem propositam noluisse prophetam dissoluere, sed serio Naaman de sua salute percontantem, sine responso, quasi se hic miscere nollet, dimisisse. Nunquid igitur permisisse propheta putandus est huic Siro, vt vnà cũ impijs exteriore corporis gestu idola coleret, si tamen de vno Deo fidem corde inclusam retineret? minimè verò. Nam & antea professus erat, se dijs alienis in posterum sacrificia non esse facturũ: Non faciet vltra seruus tuus (inquit) holocaustum aut victimã dijs alienis, nisi Domino.

Et quo

Et quo sese palam vnius Dei cultorem esse inter infideles quoque demonstraret, ad ædificandum altare Domino, de terra Israelitica, duorum onus burdonum secum auexit. Non aliud igitur corde clausum habere voluit, aliud opere promptum atque manifestum, vt cùm animo Dei cultor ac fidelis esset, tanquam propter odium declinandum, cæterorum in religione similis esse videretur. Neque id proinde permitti sibi voluit, vt habitu duntaxat gestúque corporis falso Deo cultum honoremq́ deferret, ac sicuti quidam interpretati sunt, adorare sese simularet: sed id tantummodo, vt domino suo regi, etiam in templo, solitum ministerio corporis sui pręberet obsequium: vt cum regem sibi innixum haberet, curuante sese illo, curuare se quoque ipse posset. Quæ incuruatio atque inclinatio corporis, nomine adorationis expressa est, eo tropo, quo signum, rei significatę nomen crebro suscipit: sicuti & alijs compluribus scripturæ locis. Velut vbi dicitur Abraham tribus viris conspectis adorasse in terram, id est, in terram sese incuruasse, & Iacob viso procul fratre Esau, progrediens & propinquans pronus in terram septies adorauit. Ioseph quoque fratres eius proni in terram adorasse legũtur. Et Nathan propheta Dauidem regem. Quanquam enim designata his locis adoratio ad honoris officium pertinebat, tamen nisi adorationis nomen corporis compositionem ac flexum quędam exprimeret, cuiusmodi solet honoris & venerationis signum esse, non diceretur hic aut ille in terram adorasse. Igitur propheta Siro illi rem per se licitam miniméque vitiosam permisit: quæ sicuti extra delubra deorum, ita prorsus & in ipsis fieri poterat sine peccato: præsertim cum iam Deo cæli constructo palam altari, satis constaret Naaman Dei alterius esse cultorem. Ioannes quoque Apostolus ante pedes Angeli cecidit vt adoraret, non simulatione di-

Genes. 18.

Genesis 33

Genes. 43.

3. Regum 1

Signum honoris accipit ipsius rei nomen.

Apoca. vlt.

ne diuini cultus, vt subsequente per angelum reprehensione prodesset ijs qui talē angelis honorē deferendum arbitrabantur. Sed horū personam in se suscipiēs, id egit flexu corporis, quod illi vitioso cultu faciebāt: vt cū id mox prohiberetur facere, in eo cæteri instruerētur, quorū ad sanandos animos totum id mysticè gerebatur. Iam verò Salomonis factum paulisper expendamus. Hinc enim aiunt licuisse adorandi causa excelsa Iudæorū montiū adire: quę tamē excelsa quid aliud quàm schismaticā habebāt ab vnico Dei altari secessionē? Quæ proinde sic oderat Dominus, vt reges qui ea nō euerterēt culparētur, & qui euerterēt laudarētur. Illud autē Salomoni licuisse, exitus ipse orationis eius, & sacrificiorū effectus declarasse vidētur. Exauditus enim illic est, & sapientiā quā pro terrenis fluxisq; rebus poposcerat, impetrauit. Cur igitur ad similē modū non liceat catholico hæreticorū sese cōuenticulis inserere, vnaq; schismatica sacra peragere: præsertim cùm ijs nō alius, sed vnus idemq; Deus, (sicuti & in illis excelsis) adoretur? Verùm quod hic respōdeatur, ipsa scriptura diuina subministrat. Nō enim illud Salomoni facere licuisse, neque quod fecerit, à scriptura laudatū esse, verba illa demonstrāt: Dilexit autē Salomō Dominū, ambulās in præceptis Dauid patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama. Hoc igitur in facto, Salomonē cōtra pręcepta patris sui, & Dei legē, improbāda vicit cōsuetudo popularis, cū vnus dūtaxat locus esset, in quo sacrificia offerre liceret. Idcircò enim & Sennacherib nō ignarus sacrilegū illū adorādi morē populo vehemēter esse gratū & probatum, vt hac quoq; ratione Ezechiæ regi cōflaret inuidiā, qui fuerat excelsa demolitus, pronunciari per seruos iussit: Nunquid nō iste est Ezechias, qui destruxit excelsa illius & altaria, & pręcepit Iudæ & Hierusalē, dicēs: Corā altari vnico adorabitis, & in ipso cōburetis incēsum? tanquā dice-

Lib 3. Regum ca. 3.

Lib 2. paralip c 32.

diceret: Frustra in illius pręsidijs poni fiduciā, frustraq́ per illū cælestem opē expectari, qui suis sacrificijs, suoq́ honore Deū quē coleret, spoliasset. Itaq; Salomon populari more seductus patris hic sui præcepta neglexit, cumq́ in cæteris laudē mereretur, hic tamē iustā scripturę reprehensionē incurrit. Atqui orās illic & sacrificās exauditus memoratur? Abijt enim in Gabaon (ait scriptura) vt immolaret ibi. Illud quippe erat excelsū maximū: mille hostias in holocaustū obtulit Salomō super altare illud in Gabaō. Apparuit autē Dominus Salomoni per somniū nocte, dicēs: Postula quod vis vt dē tibi. En largiri se quoq; paratū declarat quod illic petierit. Cumq́ expleuisset orationē, audiuit à Domino: Quia postulasti verbū hoc, & nō petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorū tuorū: sed postulasti tibi sapiētiā ad discernendū iudiciū, ecce feci tibi secundū sermones tuos. Exauditus est igitur Salomon etiā eo in loco, in quo quod fecit, facere nō licebat: nimirū vt intelligeremus, plus ad impetrandū valere petitionis affectū, quàm petitionis locū. Quocirca etsi quisquā in memorijs hæreticorū orās exauditur, nō pro merito loci, sed pro merito desiderij sui, recipit siue bonū, siue malū. Spiritus enim Domini (sicut scriptū est) repleuit orbē terrarum: & auris zeli audit omnia, & multi irato Deo exaudiuntur. de qualibus dicit Apost. Tradidit illos Deus in cōcupiscētias cordis illorū. Præclarū igitur magis est Tobiæ nobis intuendū exemplū, qui (vt sacra de illo narrat historia) cū iunior omnibus esset è tribu Nephthalim, nihil tamē puerile gessit in opere. Deniq; cū irent oēs ad vitulos aureos, quos Ieroboā fecerat rex Israël, hic sol' fugiebat consortia omniū, & pergebat in Hierusalē ad templū Dñi, & ibi adorabat Dñm Deū Israel, omnia primitiua sua & decimas fideliter offerēs: ita vt in 3. anno proselytis & aduenis ministraret omnē decimationē. Nō hic irridentiū

Lib. 3. regum ca. 3.

Aug. lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 16.

Sapient. 1.

Roman. 1.

linguas, non reprehensionum morsus, non accusationem vitiosæ singularitatis verebatur: pulchrè intelligens Deum quidem Israeliticas tribus separari iussisse, non vt religio, sed vt regnum diuideretur, eoq; modo iustum de tribu Iuda supplicium sumeretur. Non enim Deus iubet aut schisma aut hæresim fieri: nec quia & modo in orbe Christiano Dei voluntate regna diuisa sunt, idcircò & in illis distracta esse debet vnitas Christiana. Igitur Tobias regnum sibi à tribu Iuda diuisum arbitratus, religionem tamen cum illis, (quoniam ea sola erat vera religio) & cordis interiore sinceritate, & manifesto piæ professionis opere, voluit habere communem.

Vide Aug. ca. 12. lib. de vnitate Ecclesiæ.

Etiam id in persequutione cauendum Christiano, ne fidem negasse aut communicasse videatur.

CAPVT SEPTIMVM.

NEque enim cauendum id modo est, ne vel negemus quod in religione sumus, vel aduersarijs nepharia communione sociemur: verùm etiam ne horum alterum fecisse videamur. Sunt enim qui arte verba componunt, pulchreq; sibi in eo satisfaciunt, quod non negauerint, cum opinionem interim contrariam interrogantium animis imprimere niterentur, quo pręsens periculum euitarent: Velut si Petrum quispiam excuset, atque industriè fecisse videri velit, quia dixisset: Non noui eum. hoc videlicet sensu: Non eum mea cognitione comprehendo quem nequit mens humana complecti. aut cum dixit: Nescio quid dicas, hoc est, sacrilegia vestra nescio. Sed quem hunc in modum fortasse quispiam excusauerit, Dominus non excusauit. Non enim satis est (inquit Ambrosius) inuoluta confessio confitentis Iesum, sed aperta confessio: & quid prodest verba inuoluere,

Lib. 10. in Lucam, de negatione Petri.

quando

quando videri vis denegasse? Idemq́ est de operis cómunione iudicandum. Qua in re præclarũ extat exemplum Eleazari: qui in gẽte Iudaica vnus erat de Scribarũ primoribus, ætate prouectus, vultuq́ decorus. Is igitur cum aperto ore hians, compelleretur edere suillam, atque id facere constanter recusaret, statueretq́ nõ admittere illicita, propter miserę breuisq́ vitę huius amorem, ad supplicium vltro præibat. Sed hi qui astabãt, iniqua erga illum & crudeli cõmiseratione permoti propter antiquã viri amicitiam, suadebant vt alijs carnibus clam allatis, quibus per legem vesci phas erat, vteretur, quo sic imperata fecisse, & suillam mãducasse crederetur: At ille, sicuti scriptũ est, considerãs ætatis ac senectutis suæ dignam eminẽtiam, & ingenitæ nobilitatis caniciem, vitæq́ anteactæ religiosam honestatem, citò respõdit præmitti se in infernum malle, quàm id committere vt prophano pollutus cibo passim Eleazarus diceretur. Non enim ætate nostra dignum est (inquit) fingere vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum, nonaginta annos natum, transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter fluxum mortalis vitæ tempus, decipiantur, & per hoc maculam atque execrationẽ meę senectuti conquirã. Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis Dei nec viuus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedẽdo, senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro grauissimis sanctissimisque legibus honesta morte perfungar. Quibus dictis, cõfestim ad supplicium trahebatur. Habuit autem vir ille cõplures posteà fortitudinis suæ sectatores: quodq́ rarius sub veteri testamento fuit, ideóque magis in paucis quibusdam admirabile, post Christi de mundo victoriam cæpi. esse frequentius, & cum vetera (inquit

2.Macb.6.

Cyprianus)exempla numerētur,exuberante postmodum copia virtutis & fidei, numerari non possint martyres Christiani: testāte Apocalypsi,& dicente:Post hæc vidi turbā magnā quā dinumerare nemo poterat.Itaq; Diocletiano sæuiente,cum alij discerperentur,alij foderentur,alij laminis ignitis vrerētur,ex ipsis persequutoribus quidā(ait Eusebius) tanquā miseratione vsi,adhibebāt nōnullos nostrorum ad incesta sacrificia, & quasi sacrificassent,conclamabāt cū nō sacrificassent:de alijs verò cū ne appropinquassent quidē immūdis hostijs,acclamabāt ipsi quod iā immolassent: & abscedebāt quidam,in eo tantum culpabiles(inquit)quod crimen sibi obiectū cū silentio paterētur. Aliqui sane exclamabant ingenti voce, & testabantur se non sacrificasse, sed esse Christianos, tali se gaudentes confessione decorari: Nonnulli etiam maiori fiducia,neque immolasse, neque vnquā immolaturos esse testabātur:quibus tamē ab assistētibus militibus ora continuò atq; oculi cōtundebantur vt tacerent, & violenter expellebantur tanquam acquieuissent. Tāti erat impijs studij, vt propositum suum viderentur implesse. Vt igitur hoc in studio primum habebat inimicus,vt vicisse videretur:ita pijs dāda fuit opera ne victi putarentur. Quod qui sic prestabant, vt licet per vim manus ad impia sacrificia admouerētur, tamē voce testificarentur se Christianos esse, nolleq; idola colere,& ægrè se pati quod fieret circa illos demōstrarent, fortitudinis & cōfessionis Christianę apud Deum gloria mininè priuabantur, etsi minus interdū apud homines esset ea decora confessio, propter metū aut suspicionē eius quo labi potuit infirmitas, vt non satis violētiæ resisteretur. Vnde illud decretū est in cōcilio Anciranο: Qui fugiētes timore persequutionis comprehēsi sunt, vel à familiaribus seu domesticis traditi,& vel bona propria amiserunt,vel sustinuerūt tormenta, vel etiam carceribus inclusi sunt,

Lib. 8. historia Ecclesia. c. 3.

Can. 3.

ſunt, & tamen proclamauerũt ſe eſſe Chriſtianos, quin etiam perſeuerãte violentia ad id vſque perducti ſunt, vt manus eorum apprehenſas & violẽter attractas, ſuper ſacrificia imponerent, illis licet perſeuerãtibus in fide, & Chriſtianos ſe eſſe vociferantibus. Hoc ergò quod ijs inuitis & alijs cogẽtibus contigit, ſi luctu & mœrore animi acerbè ſe ferre demõſtrent, ipſiq́ humili per bonã cõuerſationẽ habitu incedẽtes, dolere ſe quod inuiti coacti ſunt, doceãt: hos tãquã inculpatos à cõmunione non vetari. Si autẽ iam prohibiti ſunt ab aliquibus à cõmunione, maioris diligẽtiæ & inquiſitionis cauſa, aut per aliquorũ ignorantiã, ſtatim recipi oportet. Sed illis tẽporibus fuêre nonnulli, qui nec ſacrificabãt idolis, & id ſibi non licere per ſuſceptã religionem Chriſtianã corã magiſtratu aut concuſſore quopiã profitebantur, ſed omnẽ vexationẽ qua potuiſſent ad ſacrificandũ cogi, prætio redimebãt. Ac fuêre etiam Tertulliani ætate quędam Eccleſiæ, quæ redimendo ſeſe, tributum numerarunt beneficiario Cæſaris. quemadmodum ipſe Tertullianus indicat in fine libri eius quem ſcripſit de fuga in perſequutione: Parũ eſt (inquit) ſi vnus aut alius ita eruitur maſſaliter. Totæ eccleſiæ tributum ſibi irrogauerunt. Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cum in matricibus beneficiariorum (id eſt rationarijs) & curioſorum inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur. At hic videndũ ne multum nos in eiuſmodi cauſa moueat Tertullianus: quem librum hũc ſcripſiſſe contra Eccleſiam & D. Hieronymus teſtis eſt in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, & ſatis ipſe liber id prodit, in quo præter magnificam paracleti montanici mentionẽ, ſolita etiam Chriſtianorũ in perſequutione fuga dãnatur. qua de re pòſt ſuo loco. Cypriani certè iudicium repudiare non poſſumus de cauſa Libellaticorũ, quorũ *Lib. 4. Epiſtolarum epiſtola.*

puras

puras quidē asserit esse manus, & ora feralis cibi cō tagio negat esse polluta, conscientiā tamē affirmat pollutam esse: ideoq́ꝫ flendum ijs ac lamentandum fuisse, quo recipi in gratiā & reconciliari Ecclesiæ possent. Quodnam igitur (inquis) Libellatici crimen? præsertim cum eius esset istiusmodi excusatio: Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoueram, non sacrificandum idolis: nec simulachra seruum Dei adorare debere, & idcircò ne hoc facerem quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio, ad magistratum veni, vel alio eunte mandaui, Christianum me esse, sacrificare mihi nō licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmiū, ne quod non licet faciā. Verùm hac ratione eueniebat imprimis, vt cū cæteris qui sacrificare recusabāt aut trucidatis, aut afflictis, ipse nihil asperū pati, & sua pace frui videbatur, impietatis consortio crederetur maculatus, atq; inter eos qui sacrificassēt, victiq́ꝫ essent, numeraretur. Quo pertinēt illa Tertulliani verba: Redimens non ostendi apud vnum si fortè confessus es: ergo & apud plures nolendo contiteri negasti: Ipsa salus iudicabit hominē excidisse dum euadit. Sic deinde Libellaticos egisse, vt sacrificasse & acquieuisse præceptis sacrilegis videri vellēt: quomodo videlicet Eleazarus fecisset, si monitis amicorum obtemperās finxisset se suillam edisse, alijs tamen carnibus māducatis, Diuus Cyprianus insinuat ca. 2. libelli de exhortatione Martyrij: Ne quis, ait, vel libelli, vel alicuius rei oblata sibi occa sione, qua fallat, amplectatur decipientiū malum munus, nec Eleazarus tacendus est: qui cum sibi à ministris regis offerretur facultas, vt accepta carne qua liceret sibi vesci, ad circumueniēdum regē, simularet se illa edere quæ de sacrificijs atque illicitis cibis ingerebantur, consentire ad hanc fallaciam noluit, dicens nec ætati suæ, nec nobilitati con-

conuenire id fingere quo cæteri ſcandalizarentur: Sincera(inquit) prorſus fides, & virtus integra, ac ſatis pura non regem Antiochum cogitaſſe, ſed Deum iudicem, & ſciſſe proficere ſibi ad ſalutē nō poſſe, ſi hominē derideret ac falleret, quādo Deus qui conſcientię noſtrę iudex eſt, & ſolus timendus eſt, nec derideri poſsit omnino, nec falli. Solitos autem gentiles ad hoc fictionis crimen ſollicitare, quod Eleazarus tantopere refugit, etiā ex eo conſtat quod refert Auguſtinus de Secundi cuiuſdam Tigiſitani epiſtola, qui primas fuerat Numidiæ: Scripſit (inquit) etiā Secūdus, & ad ſeipſum miſſos à curatore & ordine centurionem & beneficiariū, qui peterent diuinos codices exurendos, eisq́ reſpondiſſe: Chriſtianus ſum & epiſcopus, nō traditor. Et cum ab eo vellēt aliqua Ecbola aut quodcunq accipere, neque hoc dediſſe exemplo Eleazari Machabæi, qui nec fingere voluit ſuillam carnem ſe manducare, ne alijs prębeIet præuaricationis exemplum. Hoc Aug. in Breuiculo cōtra Donatiſtas in collatione tertię diei. Itaque Libellaticorum hoc fuiſſe videtur crimē, quod quanquam non ſacrificarent, atque apud quoſdam ſacrificare ſe nolle teſtificarentur, tamen ſe apud Imperatorē & populum ſacrificaſſe fingerent, fallerentq́ iſto modo ſemetipſos vehementer, cum fallere alios & per fallaciam euadere meditarentur. Hoc ipſum non mediocriter illuſtrant ea quoque Cypriani verba, quibus vſus eſt in Sermone de lapſis: Nec ſibi (inquit) quo minus agant pœnitentiam blandiantur, qui etſi nefandis ſacrificijs manus non contaminauerunt, libellis tamen conſcientiā polluerunt; & illa profeſsio denegantis, conteſtatio eſt Chriſtiani, quod fuerat, abnuentis: feciſſe ſe dixit, quicquid alius faciēdo commiſit. Cumq́ ſcriptum ſit: Non poteſtis duobus dominis ſeruire; ſeruiuit ſæculari domino, obtemperauit eius edicto, magis obaudiuit humano imperio quàm
Deo

Deo, viderit an minore vel dedecore, vel crimine apud homines publicarit quod admisit, Deum tamen iudicem subterfugere & vitare non poterit. Huc etiam non parũ ea conferunt quę ad Cyprianum scribunt presbyteri & diaconi Romæ consistẽtes: Hoc nos (inquiũt) non falsò dicere superiores nostræ litterę probauerũt, in quibus vobis sententiam nostrã dilucida expositione protulimus, aduersus eos qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorũ professione prodiderant: quasi euasuri irretiẽtes illos diaboli laqueos viderẽtur, quo non minus quã si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsum cõtestati fuerant tenerentur: Sed etiã aduersus illos, qui acta fecissent, licet præsentes cum fierent nõ affuissent, cum præsentiã suam vbique vt sic scriberentur, mandãdo fecissent. Nõ est enim immunis à scelere, qui vt fieret imperauit: nec est alienus à crimine, cuius consensu licet à se nõ admissum crimen, tamẽ publicè legitur: & cum totũ fidei sacramẽtum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negauit: & qui vult videri propositis aduersus euangelium vel edictis, vel legibus satisfecisse, hoc ipso iam paruit, quod videri paruisse se voluit. Erat igitur in Libellaticorũ crimine ea facti species vt thurificasse viderẽtur. Tradito namque pecuniæ vel alio quopiam munere, litteras accipiebant satisfactionis testes, ne vrgerentur deinceps ad sacrificandum, vt qui iam ijs qui sacrificassent, mandatóque paruissent, etiã publica nominis recitatione connumerarentur. Sublata autem hac specie, cur non foret satius pecuniam perdere, quàm in cadendi periculum ex cruciatu venire? Ideoq; Cyprianus Libellati crimẽ, ab eius qui sacrificauerit crimine, multum distare docet: Quin & Mœchi quàm Libellati causam grauiorẽ esse pronunciat: Cum hic (inquit) necessitate, ille voluntate peccauerit: hic

Episto. 31. (beside "rum libellorũ professione prodiderant")

Roma. 14. (beside "(inquit) necessitate")

existi-

existimans satis esse quod non sacrificauerit, errore deceptus sit: ille matrimonij expugnator alieni, vel lupanar ingressus, ad cloacam & cænosam voraginē vulgi sanctificatū corpus & Dei templum, detestabili colluuione violauerit, sicut Apostolus dicit: Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem mœchatur, in corpus suum peccat. Si autem cauendum ne idolis honorem detulisse videamur, cauendum erit hoc quoque ne hæresi aut schismati: Ideoq; cum frater Satirus ad eam Ecclesiā ex naufragio appulisset, quæ se, duce quodā Lucifero, ab Episcopis Catholicis, hoc est (inquit Ambro.) ab Ecclesiæ Romanę cōmunione diuiserat, noluit, eo cognito, sacrā Eucharistiam, quam in orario inuolutam gestabat, de manu illius episcopi suscipere, ne schismati detulisse & cōmunicasse videretur. Ac sic (ait Ambrosius) auidus fuit cælestis mysterij, vt tamē nō esset incautus. Fuerat etiā antea multo in cōcilio Laodiceno decretum, ne quisquā catholicus in cœmiteria, vel ea quæ hæreticorum martyria dicebantur, orationis gratia vel petendæ curationis intraret. Nec prætereūdum existimo quod de Ladislao Bohemorum rege catholicissimo scribit Æneas Syluius, nūquam eum hæreticorū Ecclesias, quāuis rogatū intrasse, neque sacris eorū interfuisse. Ac cum Rochesanam (erat is hęreticæ factionis in Bohemia minister) in celebritate corporis Christi, sacram eucharistiam per vrbē deferentem (nōdum enim eo profecerant illi hęretici vt ista damnarent) è fenestra conspicatus esset, nullum reuerentiæ signum præbuit: percōtantibus amicis cur sacramentum dehonestasset: Nō me latet (inquit) diuinissimū Christi corpus dignius esse, quàm vt à me satis honorari queat: verùm cauendum mihi fuit, ne dum Christū honoro, sacrilegū presbyterum Rochesanā popularibus approbasse videar: quorum plerunque mores ex principe pendent.

In libro de excessu fratris c. 7.

Cano. 9.

Historia Bohemica cap. 62.

Etsi

Etsi religionem negare non liceat, occultare tamen eam aliquando licere.

CAPVT OCTAVVM.

EST autem hac in re vigilanter intuendũ quod beatus Augustinus tradit in eo libro quem scripsit contra mendacium, non hoc esse occultare veritatẽ quod proferre mẽdacium. Quamuis enim omnis qui mentitur velit cælare quod verum est: non tamen omnis qui vult cælare verum, mentitur: plerumque enim verũ nõ fallendo occulimus, sed tacendo. Nec mentitus est Dominus, cum ait: Multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modo; aut cum de sua potestate interrogatus respondit: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Sic cum Abraham sororem suam dixit esse Saram, occultauit non negauit veritatem. Non enim dixit, non est vxor mea, sed soror est; quod reuera tã esset propinqua genere vt soror dici posset. Soror enim erat de paterno genere, nõ materno. Hoc & filius eius Isaac fecit, qui etiam propinquam suam sortitus erat vxorem. Quanquam igitur neque verbo vnquam neganda fides sit, neque facto præferenda species vlla perfidiæ vel ad breue tempus, occultare tamen ac tegere subinde liceat, quod in religione sumus. Sane cum honor Dei aut proximi salus exposcit, vt nos aperta professione prodamus, tum quidem dubium non est haud satis esse, si per fidem iungamur Deo: sed quod animo inest, Deo semper cognitum, id etiam in aliorum cognitionem lucémque proferendum est: vt ij videlicet qui infirmi sunt, & ad ruinam penduli, propter exuperantem turbam perfidorum, nostra confessione erigantur atque firmentur. At si semper & apud quoscunque fidem quam corde tenemus, etiam voce, vel opere proferre deberemus: cur dixisset Apostolus: Tu fidem habes? penes temetipsum habe

Cap.10.

Roma.14.

habe coram Deo. Intempestiuam enim nec satis opportunã damnat fidei eius testificationem, qua perfectiores & instructiores quidam Christiani, nihil iam in cibis commune aut immundum esse sciebãt. Quod cum tenerent, nec sese id dubitarent per Christum esse consequutos, inconsideratius atque insolentius, contempto etiam infirmorum offendiculo, suæ libertatis conscientiam opere ipso, cibique cuiuslibet vsu declarabant. Hos igitur coarguit Apostolus, docetq; eiusmodi suæ fidei testificationem, non modo non fuisse laudabilē, tametsi esset fides semper ipsa laudanda, verùm etiam vitiosam fuisse, propterea quòd esset cum infirmorum offensione graui & ruina coniuncta. Etenim cum sibi persuadere nondum possent, veteris Mosaicę legis vinculum mediatoris præsentia resolutũ: quin potius vnà cum institutis Christianis, legis quoque cæremonias esse retinendas propter diuinam eius authoritatẽ & venerandam antiquitatem arbitrarentur: si quos Christianos animaduerterent liberius præter traditam sibi legem sumendis alimentis agere, contẽni Dei præceptum rati, magis alienabãtur à Christo. Et nunc ea quidem causa nõ est, vt propter tales infirmos, non proferre Catholicam fidem nostram ipso opere debeamus. Nam post longissimi temporis, omniumq; gentium confessionem, ac tot œcumenicorum decreta conciliorum, quis videri possit ex infirmitate scandalum pati, si vel adorari Eucharistiam, vel preces fundi pro defunctis, vel inuocari sanctos, vel aliud quidpiam fieri palam, iuxta fidei Catholicæ normam animaduertat? Num prætexere quisquam potest alterius cuiuspiam religionis sub nomine Christiano antiquiorem ritum? Num possit hic aliquẽ offendere nouitas, vti olim Iudæos, cùm subrutis veteribus institutis noua placita perditissimę doctrinæ, tanta auiditate suscipiuntur à multis? Veruntamẽ & modo

ſubeſſe interdum iuſta ratio poteſt, quamobrem fidem noſtram occultemus. Quid ſi enim hoſtes quidem tuos, nemine interrogante, moueris, bilémque ac furorem accenderis, nulla vel fidei, vel fidelium vtilitate? Nullam tum profectò laudem habitura eſt fidei Catholicæ vltronea profeſsio. Quin potius huc pertinet quod à Chriſto Domino præceptum eſt: Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas veſtras ſpargere ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos; id eſt, ne vos obtrectationibus perſequutionibusq́ ſuis dilacerent. Non autem canibus aut immundis porcis porrigitur, quod profertur ac ſpargitur propter alios, quorum meritò ſperatur ſalus atque vtilitas. Nam & Chriſtus Dominus doctrinam ſanctam diſſeminauit, præſentibus atque audientibus Phariſæis, quorum erat odium futurum ardentius: tantum abeſt vt vllum ex audita prædicatione fructum reportarent: Sed nouerat ille ſuos in eadem auditorum turba, qui ſparſas diuiniſsimæ doctrinæ margaritas collecturi ſibi erant ad ſalutem. Horum igitur fructum & æternum commodum, non erat æquum interuerti, propter impiorum ac perditorum quorundam cœcam maleuolentiam. Hinc & ſanctos aliquando viros, in aulis infidelium principum conſtitutos, fidem Chriſtianam, quam ſub militari habitu aliquanto tempore conſultò occultauerant, vltro legimus prodidiſſe, cum vitæ certo periculo, vt eos qui nutare in tormentis, ac prope ſuccumbere videbantur, ad fortitudinis perſeuerantiam ſuo hortatu confirmarent. Tale enim quiddam de B. Sebaſtiano memoriæ proditum eſt: qui dux cum eſſet primæ cohortis militum, imperante Diocletiano, Chriſtianam fidem clam colebat, Chriſtianóſque & opera & facultatibus adiuuabat: Sed cùm ex ijs quoſdam animaduertiſſet cru-

ciatus

ciatus reformidare, atq; ob id propendere ad lapsum, sic eos cohortatione roborauit, vt agonem martyrij fœliciter absoluerent: in quibus fuisse memorantur Marcus & Marcellianus fratres. Simile quiddam & Vitalis martyr fecisse videtur, qui militans cum Paulino iudice, cum medicum Vrsicinum, post multa grauiáque tormenta fortiter pro Christi nomine tolerata, ad mortis tamen expauisse sententiam animaduertisset, exclamauit: Noli Vrsicine medice, qui alios curare consueuisti, teipsum æternæ mortis iaculo conficere: & qui per nimios cruciatus iam prope ipsam palmam es consequutus, coronam noli perdere, tibi à Domino præparatam. Aliud est igitur malle torqueri, quàm negare aut communicare, si ad id Catholicus vrgeatur: aliud, cum nulla præsertim aut iudicis, aut legis interrogatio est: neque professionem aut Dei honor aut proximi postulat salus, non se detegere, nec fidei suæ lucem inter infidelium tenebras frustra velle proferre. In illo enim martyrum innumerabilium virtus atque fortitudo varijs temporibus enituit, qui pulchrè tenentes quod ait Christus: Estote prudentes sicut serpentes; cum eorum caput, hoc est Christus, seu Christiana fides ac pietas, peteretur: ad hanc conseruandam corpus totum vitámque temporariam, vel morbo citò interituram, carnificum percussionibus & laniatibus obiecerunt. Fertur enim coluber (ait diuus Ambrosius) cum vrgetur periculo, caput semper abscondere: & in orbem se colligens, obiecta reliqua parte corporis hoc solum tueri, quod illæsa feratur membra cætera, saluo capitis vigore, reparare. Hoc tu (inquit) seruato mysticè. Mysticum caput Christus est: quia omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ: hoc caput qui amiserit, viuendi vsum habere non poterit: Hoc solo distamus à bestijs, ad imagi- In Psalm. 118 sermo. 20.

nem Dei & similitudinem virtutum vigore formati: fides nos ab irrationabilium pecudum comparatione secernit. Hoc caput humani seruate serpentes: Etiam si omnia membra cædantur, totum vratur corpus incendijs, mergatur profundo, euisceretur à bestijs, hoc tamen capite custodito, vita integra, salus tuta est. Nemo enim potest perire cui non sublatus est Christus. In altero verò multorum laudata prudentia est, sic fidem seruans illæsam & caput incolume, vt & corporis tamen vita ad longiores humanos vsus reseruaretur. Quo pertinet mutatio habitus, & siue muliebris, siue militaris vestis assumptio. Cum enim plures habeat vestis vsus, alterum primarium, vt corpus tegat: alterum secundarium, vt distinguat vel ornet, siue vt sexui, vel ætati, vel ordini, officióve aptè congruat, si quispiam vitæ necessitate conseruandæ, aut vir fœmineam, aut sacerdos militarem vestem assumat propter vsum priorem, quem esse dixi primarium, facti mendacio caret, sicuti & intentione fallendi, etiamsi non pauci fallantur. Quod si discrepantis à sexu vel ordine vestis iusta sumendæ causa est interdum, cum (verbi gratia) nudus quispiam periclitetur è frigore: cur nõ ea quoque iusta sit alieno habitu sui tegendi ratio, cum vitæ periculum impendeat ab hominis cuiusquam infestatione? Neque verò propterea vestis ad significandum instituta videri debet, quia distinguit alios ab alijs: velut clericos à laicis: mulieres à viris: à militibus mercatores. Nam quæ res non suis distinguitur coloribus ac proprietatibus? Certè & mẽs ratione prædita in animo, & certa membrorum compositio ac figura in corpore, hominem secernit à brutis animantibus, neque tamen ad significandum illa homini tributa sunt, sed ad hominem constituendum. Sic & colores & proprietates aliæ quęlibet non significãdi gratia rebus inditæ sunt,

sed

ſed vt ornatum haberet quæque res ſuæ naturæ congruentem. Idemq́ iudico de ijs ornamentis quæ arte quæſita ſunt, vt cuiuſque vel ætati, vel ordini, vel ſexui conuenirent. Quæ tamen ad ſignificandum aſſumi poſſunt, vt non in vocibus modo, verùm etiam in habitu, vel vera, vel mendax eſſe queat religionis profeſsio. Velut ſi quis ſacerdos in perſequutione habitu ipſo profiteri ſe velit ſacerdotem eſſe: aut ſi quiſpiam paganus & infidelis inter Chriſtianos, vt mortem effugiat, veſte clericali ſignificare ſe velit Chriſtianũ: Quomodo cùm Romam Gotthi diriperent Ariani, multi ſe Gentiles, quos adhuc Roma habebat, & factis Chriſtianos eſſe & vocibus loquebantur: propterea quod hoſtis, quamuis Barbarus, ſed tamen profeſsione Chriſtianus, ea moderatione ſęuiret, vt templis ſacris, memoriiſque martyrum, & his qui ſe Chriſtianos eſſe dixiſſent, præcipuè parceret: Hac igitur ſignificandi fallendiq́ intentione, non modo religionem ſeu veram, ſeu falſam: ſed neque ordinem, neque ſexum, neque vitæ genus mentiri habitu licet. Quamobrem hoc improbans D. Ambroſius, legémque producens ex Deut. cap. 22. Non induetur vir ſtolam muliebrem; Si verè diſcutias (inquit) incongruum eſt, quod ipſa abhorret natura. Quare enim homo nõ videri vis quod natus es? Cur alienam tibi aſſumis ſpeciem? Cur mentiris fœminam, vel tu fœmina virum? Quia vnumquemque ſexum induit natura indumẽtis ſuis? Cùm verò nõ ſignificandi cauſa ſumuntur, ſed tegendi atque occultandi ſui, cum res poſtulat, id profectò mendacio caret: Sicuti nec Ioſue mentitus eſt, cum propugnatores vrbis Hai, terga vertendo protrahere longius ab oppido niteretur, quo facilius vtrinq; cædi & opprimi poſſent. Terga enim vertit, non volens ſignificare fuga metum, ſed occultare cõſilium. Sic olim quod erat nõ negare, ſed tegere voluit Eu- *Epiſt. 15.*

Eusebius Samozatenus. Deportatus enim in exilium, multas Ecclesias suis pastoribus destitutas & desolatas esse conspiciens, habitu (vti Theodoretus scripsit) militari sumpto, thiaraq; operto capite, Syriam & Phœnicem & Palæstinam peragrabat, presbyteros ordinans atque diaconos, & alia Ecclesiæ peragens officia. Sic & illa mulier septies icta, ne forte (quemadmodum ait D. Hieronymus) creber medici ad Ecclesiam commeatus suspicionis panderet viam, cum quibusdam virginibus ad secretiorem villulam, secto crine transmissa est, ibique paulatim virili habitu veste mutata, in cicatricem obductum vulnus. Iuliano verò imperante, quidam adolescens, Christianus effectus, cum à patre excarnificandus quæreretur, schemate mulieris, periculum persequutionis effugit. Quod igitur lex improbat, si nulla fiat, iusta satis causa postulante, id facere licebit, si talis aliqua subfuerit. Inde etiam illud est in Clemētinis constitutum: Qui abiectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias assumere & in publico portare rationabili causa cessante præsumit, professorum illius ordinis prærogatiua se reddit indignum. Idem quoque censemus de clericis, sacerdotibus & religiosis quibuslibet, vestem simul & tonsurā, præterquàm ex rationabili causa, publicè non deferentibus clericalē. Debet enim cultus corporis exterior cuiusque conditioni, iuxta probatum populi morem, qui pro lege habēdus est, aptè congruere. Cæterum si quid erit in habitu ad significandam duntaxat falsam religionem institutum, non autē vt homini sit congruum pro sua conditione tegumentum, eo prorsus vti haud licebit Christiano. Neque enim id iam erit occultare sese ac tegere, sed alienam impietatem habitu ipso haud secus atque vocibus profiteri: Imo verò etsi non esset habitus ad significandam religionem falsam directè institutus, puta Iudaismum,

Lib. 7. Hist tripartitæ ca. 16.

Lib. 6. Tri. hist. ca. 33.

Lib. 3. de vita & honestate clericorum. cap. 2.

mum, aut Turcismum, aut hæresim: si tamen ita peculiariter siue ex consuetudine vltronea, siue ex decreto superiorum, eo habitu falsæ religionis homines quidam vterentur (vt, verbi gratia, Iudæi non modo gente, sed etiam errore aut hæretici passim censerentur, qui eo conspicerentur induti) non liceret propter offendiculum, eiusmodi habitum sumere Christiano. Velut cum in Lateranensi concilio constitutũ esset, vt Iudæi vtriusque sexus in omni Christianorum prouincia, & in omni tẽpore, qualitate habitus publicè ab alijs populis distinguerentur. Sicuti nec coronam capite gestare inter Gentiles olim Christianus miles potuit, si id de more fieri solebat ad honorem cultúmque deorum. Quod Tertullianus prætendit, cum defendens ac laudans militem, qui quam alij coronam capite gestabant, manibus ipse comprehensam detulit. Meminit & coronæ Cyprianus in hanc partem, cum ait in sermone de lapsis: Frons cum Dei signo pura, diaboli coronã ferre non potuit. Ipsæ namq; fores, ipsæ hostiæ, & aræ, ministri ipsi & sacerdotes idolorum coronari solebant. Itaque nec militari quidẽ veste se conspici Christianus pateretur, vbi id esset à quopiam infideli principe constitutum, ne quisquam militaret Christianus. Quocirca cum legẽ tulisset Licinius Tyrannus, ne quis esset in suorum numero militum Christianus, decretum fuit in Nicæna synodo, vt si qui per Dei gratiam vocati, primò quidem ostendissent fidem suam deposito militię cingulo, post hæc autem ad proprium vomitum reuersi essent, vt & pecunias darent, & ambirent redire rursum ad militiam, hi decem annos essent inter pœnitentes. Non enim (quod insulsè hęretici quidam arbitrantur) militiam damnat Nicæna synodus contra scripturæ diuinam authoritatem: sed eorum damnat Christianorum crimen, qui (vt se tũ res habebat militaris) eo ipso se profitebãtur

Cano. 68.

Canon. 12.

 idolo-

idololatras,quo militiæ cingulum repetebant. At vbi constaret infidelium habitu non solùm infideles vti, verùm etiā Catholicos & Christianos: ideóque non passim ex habitu religio cuiusque æstimaretur, nihil erit peccati, si quis eo fuerit vsus. Vnde cum in Africa Cirila Arianorum Episcopus, Beato Eugenio Carthaginensi Episcopo mandasset, vt quoscunque mares vel fœminas in habitu Barbarico in Ecclesia conspiceret, prohiberet, ille (inquit Victor) respondit vt decuit: Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere: maximè quia ingens fuerat multitudo nostrorum Catholicorum, in habitu illorum incedentiū,ob hoc quod domui regię seruiebant. At vbi ab homine Dei tale respōsum accepit, statuit in portis Ecclesiæ collocare tortores, qui videntes fœminam vel masculum in specie suæ gentis ambulantes, illico palis minoribus dentatis iactis in capite,crinibúsque in ijsdem colligatis,ac vehementius stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli,dum hoc fieret,statim oculos amiserunt: alij ipso dolore defuncti sunt. Mulieres verò post hanc pœnam capitibus pelle nudatis, præcone præeunte, per plateas ad ostensionem totius ciuitatis ducebantur. Hactenus Victor Vticensis Episcopus. Quod autem suprà dictum est de legis interrogatione, ne id fortè quispiam non satis intelligat, explicandum est exemplo,quo Cardinalis Caietanus est vsus. Sicubi enim lex aut consuetudo vigeat eiusmodi,vt tam incolentes quàm aduentitij Christiani, certa quapiam veste aut signo suæ religionis vti iubeātur,quisquis eiusmodi signo recusauerit vti,ne si religionē suam patefecerit,occidatur,crimen admisit. Tum quippe sua cuique fides aperienda est, cum fuerit interrogatus,vsque adeò vt si ex taciturnitate creditur non Christianus, honorem Deo debitum subtraxisse cen-

Lib. 2. de persequutione Vandalica.

In 2 2 q. 43. art. 2.

censendus sit. Atqui hoc casu, plus etiã quiddam quàm interrogatio interuenit, dum vel lege, vel consuetudine flagitatur fidei propriæ manifestatio. Nec verò quicquam obstiterit quod lex eiusmodi fuerit à tyranno lata: quoniam & à tyranno quisque de sua fide interrogatus, eam confiteri tenetur, vt Deo saltem debitum reddat honorem. Quem honorem Christiani veri semper tanti faciendum putauerunt, vt legantur se quidam vltro prodidisse, & cũ laterent, suis è tenebris prodijsse, ne taciturnitate ipsa negauisse crederentur. Proinde si hic quoque veteri discrimine, & nec ipsis Grammaticis ignorato, quo cõfessio & professio distinguuntur, licebit vti, dicemus professionem quidem suæ fidei non semper Christiano necessariam esse: confessionem verò, quoniam interrogatione exigatur, nequaquam esse prætermittendam. Verùm inter profiteri fidem & confiteri, non semper huius discriminis habita est ratio.

Quàm debeat cordi esse homini Christiano, quod B. Petrus ait: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem. 1. Pet. c. 2.

CAPVT NONVM.

MAgnopere autem curãdum est Christiano, vt pia quadam auiditate verbi salutaris eo proficiat, suæ vt fidei reddere queat rationem, si qua præsertim ab infideli deposcatur. Sic enim à D. Petro scriptum est: Dominũ Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe. Qua in parte plurimorum in grege Christiano desideratur officiũ ac studium, qui secularibus curis implicati, aut immersi desiderijs rerum terrenarum, fidem suam nõ exercent, neque excolunt, neque quid sit quod credãt, seriò

cum animis suis vnquam expendunt. Quo fit vt & hæreticorum vigilantia & acri studio facilè vincantur, & eorum in cordibus mortua nimium fide torpentibus, haud ægrè locum blandiens nouitius error inueniat. Denique absurdum est (ait Chrysostomus) quod medicus, coriarius, textor, & omnes generatim opifices, quisque pro artis suæ professione pugnet: Christianus autem non possit vllam religionis suæ afferre rationem. Atqui illæ artes neglectæ, ad pecuniam damnum referunt: huius autem contemptus, animæ detrimentum affert: & tamen tanta miseria, tanta insania laboramus, vt in illas omnem curam cogitationémque conferamus: necessaria autem & salutis nostræ munimenta firmissima pro nihilo ducimus. Hoc non sinit Gentiles recognoscere errorem suum atque deridere. Nam cum ipsi mendacio nixi omnia faciant, vt dogmatum suorum ignominiam defendant, nos autem veritatis cultores ne hiscere quidem ad nostra tutanda possimus: quæ causa est, quin doctrinæ nostræ nimiam damnent imbecillitatem? quin fraudem & stultitiam in nobis suspicentur? quin Christo tanquam mendaci, & multitudinis stultitia fraude sua abutenti maledicant? Huius nos causa blasphemiæ, nos (inquam) qui nolumus pijs religionis nostræ sermonibus inuigilare, sed superuacuis & caducis rebus curam omnem adhibemus. Qui saltationis, & aurigandi, & bestias conficiendi studio delectantur, huiusmodi certaminibus totis viribus incumbunt, ne inferiores euadant, & studia sua maiorem in modum laudant, & aduersus eorum accusatores excusationem meditantur: In Christiana autem religione defendenda, nulla cura adhibita torpescimus, oscitamus, maxime ridiculi deprehendimur: & quî non summam Dei subimus indigna-

Homil. 17. in c. 1 Ioã.

dignationem, cum Christum inferiore loco quàm saltatorem habeamus? Credimus in patrem, & filium, & spiritum sanctum: in resurrectionem corporum, in vitam æternam. Si quis Gentilium percontaretur, quis hic pater est, quis filius, quis spiritus sanctus? tres deos asseritis; & vos plurium deorum assertores reprehenditis. Quid ad hoc dicetis? quid respondebitis? quo pacto has dissoluetis obiectiones? Quid autem, si nobis ad hæc obmutescentibus, aliam inferat quæstionem, An in hoc corpore, an in alio resurrecturi simus? Et si in hoc, quæ necessitas vt dissoluatur? Quid præterea hoc tandem & non superiori tempore Christus humanam carnem accepit? Quid si hæc & eiusmodi percontaretur? Quod si Gentiles vt contra religionem nostram loquerentur, tantopere inuigilarunt, qua nos venia dignamur, nisi huiusmodi contra nos insultus propulsare calleamus? Hoc nobis Petrus præcipit. Inquit enim: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide ac spe. Et Paulus: Verbum Christi inhabitet in vobis abundanter. Sed quid ad hoc respondent fucis stultiores? Benedicta omnis anima simplex: & qui simpliciter ambulat, in fiducia ambulat. Hoc namque omnium malorum causa est, quod non multi scripturarum testimonia in opportunis rebus sciunt adducere. Non enim in eo loco simplex pro stulto, & pro eo qui nihil nouit, intelligendum: sed pro non malo, non versuto. Nam si ita intelligeretur, superuacaneum fuisset dicere: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Hæc D. Chrysostomi vtilissima sunt monita, quæ si omnes pro suo quisque ordine sequeremur, magis multo inter persequentium hæreticorum linguas, fidei catholicæ veritas effulgeret: minus sibi tanquam de victoria multi passim sectarum

1. Petri 3.

Coloss. 3.

Prouer. 10.

ama-

amatores applauderent, qui dum in multos incidunt imperitos, nimiúmque rudes, & tamen aliorum subinde pastores atque doctores, perinde ac si nemo posset fortior occurrere, de communi imbecillitate gloriantur. Non tantam denique stragem animarum istiusmodi persequutiones verborúmque dimicationes facerēt, si verbi Dei gladio quisq; nostrum promptius vteretur. Neque tamen ex dictis consequens esse putandum est, vt quoties quisque interroget, fideiq; ac spei nostræ rationem exposcat, toties eam reddere debere videamur, cum hic sedulo (quod supra quoque dixi) cauendum sit ne sanctum canibus ingeramus, aut ante porcos spargamus margaritas. Verùm sic esse semper instructus Christianus debet, sic vel generales quasdam fidei speiq; suæ tenere rationes, vt posit opportunè omni poscēti, siue credenti, siue incredulo, spei Christianæ proferre rationem. Cum enim persuasum habet infidelis spem Christianorum ac fidem inanem esse, neque vllam eius censet posse reddi rationem, tum pati non debet Christianus, de sua spe interrogatus, vt spem vanam & nullo nixam fundamento gerere videatur. Sin autem nō iam vt causam audiat, cuius nullam reddi posse definitum habet, sed vt irrideat magis ac blasphemet, iterum atque iterum interrogauerit, nemo hic necesse esse putet operam in reddēda ratione ponere, quæ perdi videatur. Cauēdum interim est ne silentio nostro quicquam ponderi veritatis & diuino honori decedat, ponendumq;
Matt. 26. ante oculos Christi saluatoris exemplū, qui cum alias iniurias silentio præterierit, ad eas tamē quibus patris honor lęderetur, nunquam putauit esse conticescendū. Imprimis verò ij, quorum ad munus pertinet docere & tutari veritatem, cōmittere nunquam debent vt veritatem catholicam silen-
Epist. 169. tio suo esse patiātur indefensam. Idcirco Augustinus: Cum Deus (inquit) imperet vt loquamur & præ-

prædicemus verbum, & docentes quæ non oportet refellamus: & instemus opportunè atque importunè, nullus hominum mihi silentium de his rebus persuadendum arbitretur: violenter autem vel latrocinantes si quid audendum putauerint, non deerit Dominus ad tuendã Ecclesiã suam, qui iugo suo, in gremio eius toto orbe diffuso, omnia regna terrena subiecit. Ad similem modum & D. Basilius: In alijs (inquit) Pręfecte, modesti sumus, & omnibus reliquis humiliores: ita enim mandatum iubet, nec solum contra tantam potentiam, sed nec contra homines viles supercilium attollimus. Vbi verò Dei periclitatur negotium, cunctis alijs contemptis ad illũ solum respicimus. Itaque Iustiniani Augusti temporibus, cum in Africa Catholici quidam Episcopi pro auita religione fortiter starent, & nec imperanti quidem silentium regi parendum esse arbitrarentur: ne tacendo (inquit Gregorius) forsitan consensisse viderentur, amputatis eam ob rem Barbari iussu linguis, singulari nihilominus Dei beneficio loquuti sunt, & nec elingues silere potuerunt, perdurauítquè hoc in ijs loquendi munus, nisi quod vnus in luxuriam postea lapsus, mox dono miraculi priuatus memoretur. Porrò duobus modis (ait Venerabilis Beda) de spe & fide nostra rationem poscentibus reddere debemus, vt & iustas fidei & spei nostrę causas omnibus intimemus, siue fideliter, siue infideliter requirentibus: & ipsam fidei nostrę professionem illibatam semper teneamus, etiam inter pressuras aduersantium, ostendentes per patientiam, quàm rationabiliter eam seruandam didicerimus, pro cuius amore nec aduersa pati, nec mortem subire formidemus. Præclarè hoc præstitit Lucianus presbyter Antiochenus, vir moribus, continentia & eruditione facilè præcipuus. Nimirum quoniam hoc ipsum pręses postulauerat, eiusmodi verbis eum compellans: Cur tu vir

In oratione Naziazeni de Basilio.

Lib. 3. dialog ca. 32.

Lib. 9. Ecclesiast. Hist. ca. 6.

tu vir rationabilis & prudens ſequeris ſectam, cuius non potes reddere rationem? Aut ſi eſt aliqua, audiamus. Extat etiam apud Prudentium præclarum admodum in Romano & fortis, & pulchrè inſtituti Chriſtiani exemplum. Cum enim dixiſſet Præfectus Æſclepaides:

Mens obſtinata eſt, corpus omne obcalluit,
Tantus nouelli dogmatis regnat furor.
Hic nempe veſter Chriſtus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipſe ſuffixum cruci.
Hæc illa crux eſt (inquit) omnium noſtrũ ſalus.
Scio incapacem te ſacramenti impiè
Non poſſe cæcis ſenſibus myſterium
Haurire noſtrum, nil diurnum nox capit,
Tamen tenebris proferam claram facem.
Sanus videbit, lippus oculos obteget.
Remouete lumen, dicet inſanabilis,
Iniurioſa eſt nil videnti claritas,
Audi prophane quod grauatus oderis.

Ac poſteaquàm breuiter de myſterio ſalutis noſtræ diſſeruiſſet, ne aut ſine ratione crucifixum nos colere crederemur, aut illius honor maneret indefenſus, addit:

Dixiſſe pauca ſit ſatis de myſticis
Noſtræ ſalutis, deq; proceſſu ſpei.
Iam iam ſilebo, margaritas ſpargere
Chriſti vetamur inter immundos ſues:
Lutulenta ſanctum ne terant animalia.

Euſebius lib. 5. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ c. 2.

Beatus verò Photinus Lugdunenſis Epiſcopus, interrogatus à præſide, quis eſſet Chriſtianorum Deus, reſpondit: Si dignus fueris, ſcies. Ex quo reſponſo tanta cunctos rabies immenſi cuiuſdam furoris inuaſit, vt & qui propè aſtabant, pugnis, alij calcibus ſubigerent ſenem. Illi ver[ò] qui longius

gius aberant, quicquid furentibus teli venisset in manus, eminus iaciebant, ita vt quisque summi sibi esse delicti duceret, nisi aliquid in senem sceleris attulisset. Hic verò apprimè seruandum illud est quod in Euangelio Christus admonuit: Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quod loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Quibus verbis non industriam humani ingenij, non orationem, non Christianæ prouidentiæ studium excludi putandum est, sed anxiam sollicitudinem, quæ de propriarum virium & humanæ imbecillitatis contemplatione facilè suboritur, in ijs præsertim qui in se omnem spem reponunt sui, nec cogitant à Domino & sapiētiam subministrari & sermonem aptum oportere. Vnde sic scriptū est apud Lucā hoc ipsum quod ex Matthæo cōmemorauimus: Cum inducent vos in synagogas, & ad magistratum, & potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respōderitis, aut quid dicatis: spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. Matt. 10. Luca 12.

Integrum esse Christiano, fuga sibi consulere vt persequutionis pericula vitet.

CAPVT DECIMVM.

SEd iam de fuga quoque videamus, ea ne probanda sit in homine Christiano, quando religionis causa persequutione premitur. Videbor hic fortasse quibusdam perinde facere, atque si de sole quispiam, vtrum luceat meridie, disputationē introducere velit. Quis enim non protinus dixerit, cuique naturæ iure concessum, vt hostem fugiat suum, cui repugnando par esse non possit? Et tamen doctissimus Tertullianus fugam non permisit Christiano, in eo videlicet, sicuti & alijs in rebus nonnullis, grauiter impingens: Quo non

non impellit zelus malus, & contradicẽdi libido?
Etenim Tertullianus, cum se ab Ecclesia segregasset, atque per Montani præcipitia corruisset, vti alia quædam, ita & librum de fuga in persequutione aduersus Ecclesiã scripsit. Quam & in libro de corona militis perstringit his verbis: Plane superest vt etiã martyria recusare meditentur, qui prophetias eiusdem spiritus sancti respuerunt. (Montanicum autem paracletum significat) Mussitant denique tam bonam & longam pacem sibi periclitari. Nec dubito quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de ciuitate in ciuitatem: nullam enim aliam Euãgelij memoriam curant. Noui & pastores eorum in pace leones, in prælio ceruos. Sic Tertullianus. Verùm tamẽ quid hic facere liceat, dubium esse non potest, cum & Domini præceptum teneamus, & exemplum: præceptum quidem, cum ait: Si persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Quanquã hoc Tertullianus propriè ad personas Apostolorum, & tempora, & causas eorum pertinere defendat: omitto enim illum commentarium, nec qui refellatur dignum duco, quem in historia sequutus Socrates altero etiam improbato expressit his verbis: Illic præcipitur vt fugientes habitationem mundanam, Hierusalem requirãt supernam. Hoc igitur neglecto (vt certè minimè litterali) Tertullianus non perpetuum ad omnes pertinens, sed temporarium, Apostolos duntaxat cõcernens, de fugiendo præceptum esse contendit: nimirũ quia solis ijs & alia quædam dicta sunt, quæ eodem capite præscribuntur. velut illud: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierũt domus Israël. Nobis enim & via nationum patet, in qua & inuenti sumus: nec cura nobis Israëlis peculiariter iniuncta est, nisi quatenus & omnibus gentibus prædicare debemus. Item quod cõtinuò sequi-

Matt. 10.

Lib. 8. tripar. Hist. cap. 11.

ſequitur, fugæ præceptum: Amē dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſrahel, donec veniat filius hominis. Quaſi non etiam nobis ad ſimilem modum colligere liceat, ad alios quoq; fugæ præceptum pertinere, quia dicatur omnibus quod præcedit: Cùm tradent vos, nolite cogitare quomodo & quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. & rurſum: Eritis odio hominibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et quod ſequitur: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt & corpus & animã mittere in gehennam. Tametſi ſunt igitur nonnulla, quæ Apoſtolos, eorumq; cauſas & tempora peculiariter cõcernant, ſunt & ea tamen non pauca, quę ex communi & ad omnes pertinente ratione omnibus præſcripta noſcuntur. Si enim (vti viſum eſt Tertulliano) fugiendum fuit Apoſtolis, propter profectum annunciationis, ne illis ſtatim oppreſsis, euangelij quoque diſſeminatio perimeretur: cur non ſimilem ob cauſam ſe fuga ſubinde ſubtrahãt ex inimicorum furoribus, quorum vitę officia diu videantur adhuc Reipub. Chriſtianæ profutura? quibus pares nõ facilè ſubſtituas? quibus oppreſſis, pia incepta multa interitura ſentiantur? Tantum igitur de præcepto. Exemplum verò præbuit Chriſtus fugiendi, cùm Iudæis lapidare ipſum volentibus propter aſſertionem diuinitatis ſuæ, ſubduxit ſeſe è templo, & abſcondit. De eo quoque ſcriptum eſt, quòd in Iudæam terram ire aliquãdo recuſauit, propterea quod eum Iudæi ad necem quærerent. Sed & pòſt cùm ad diem feſtum aſcendiſſet, non id manifeſtè, ſed quaſi in occulto feciſſe narratur. Eſt etiam apud Matthæum, Phariſæos iniiſſe conſilium, quomodo Ieſum perderent:

Ioannis 8.

Ioannis 7.

Matt. 12.

F Hunc

Hunc verò cum id non ignoraret, in desertum secessisse. Secessit idem tum quoque in desertum, cum de interfecto Iohanne Herodis iussu nūcium accepisset. Hæc verò ille ipse fecit qui palam postea loquebatur, & nec tenebatur. Quorum alterum potestatis fuit, alterum exēpli. Nam quando latuit vt homo, non potentiam perdidisse putandus est: sed exemplum nostræ infirmitati præbuisse. Ille enim quando voluit, detentus est: quando voluit, occisus est, inquit Augustinus. Sed quoniā futura erant membra eius, id est, fideles eius, qui non haberent illam potestatē, idcirco quod latebat, quod se tāquam ne occideretur occultabat, hoc indicabat factura esse mēbra sua, in quibus vtique membris suis ipse erat. Non enim Christus in capite & non in corpore, sed Christus totus in capite & in corpore. Membra igitur ipsa mihi nunc intuere: & non vulgares modo Christianos, non infirmos duntaxat aliquos è plebe promiscua, verùm etiam ipsos arietes Dominici gregis Apostolos, fuga sibi consuluisse reperies. Cōfitentem audiamus de semetipso gentiū Apostolum: Damasci (inquit) præpositus gentis Aretę Regis, custodiebat ciuitatem vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Ille ipse cum Barnaba ex Iconio commotis aduersum eos ciuitatis principibus ad Licaoniæ ciuitates Listram & Derben profugit: Cum Sila verò ex Thessalonica, propter Iudaicos furores, nocturnis emissus tenebris, in Boerræam se contulit: Et cùm deprehēsis Iudæorū insidijs, qui deuouerant se neque manducaturos, neque bibituros, donec Paulū interfecissent, Cæsaris appellauit tribunal: nónne illorum cruentas manus hac ratione tibi videtur effugere voluisse? Vtcunq; igitur se habeat præcepti Dominici sensus: Si persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, (nam Chrysostomus quidem, non de his persequutionibus (inquit) hoc dicit,

Math. 4.

Actorū 9. & 2. Corin. ca. 11.

Actorū. 14. Actor. 17.

Vide plurima exēpla Scripturarū apud Athanasiū

dicit, quæ post crucem fuerũt, sed de his quas ante crucem & passioné habuerunt, quod significanter expressit, dicens: Non enim obibitis ciuitates Israhel, donec venerit filius hominis. Vt igitur non huic nos cõmentario nimium opponamus, certe Paulus post crucem persequutiones passus, exéplo suo, fugæ probauit consilium, atque etiam inter gentes fieri posse declarauit, quod scriptum est: Si persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Quod prudenti ac verè Christiano fieri consilio, præsertim ab infirmis, non ægrè perspicit, quisquis satius esse considerat patriæ commodis carere, quàm inter hostium furores & cõtumelias, variasq; & graues iniurias, de æterna salute periclitari. Quis enim in tanta imbecillitate virium humanarum securus sit, fore se victorem? Quis in multitudine succumbentium, facilè præsumat se futurum fortiorem? Quocirca lapsis in persequutione, non est (ait Cyprianus) iusta aliqua & grauis causa quæ tantum facinus excuset. Relinquenda erat patria, & patrimonij facienda iactura. Cui enim nascenti atque morienti non relinquenda quandoque patria, & patrimonij sui facienda iactura est? vt Christus non relinquatur, salutis ac sedis æternæ iactura timeatur. Clamat ecce per Prophetam Spiritus sanctus: Discedite, discedite, exite inde, & immundum nolite tangere. Exite de medio eius: Mundamini qui fertis vasa Domini; & qui sunt vasa Domini ac templum Dei, ne immundum tangere, & feralibus cibis pollui violarique cogantur, non exeunt de medio nec recedunt? Alibi quoque vox auditur è cælo, præmonens quid Dei seruos facere conueniat, dicens: Exi de ea populus meus, ne particeps sis delictorum eius, & ne perstringaris plagis eius. Qui exit & cedit, delicti particeps non fit: plagis verò & ipse constringitur, qui socius criminis inuenitur. Et ideo Dominus in persequutione

in Apologia de fuga sua quae etiam ex est commemorantur in Tripartita historia, li 6 c. 22

Sermone 5 de lapsis.

Isaia 52.

Apoca. 18.

ſecedere & fugere mandauit, atque id vt fieret & docuit, & fecit. Nam cùm corona de Dei dignatione deſcendat, nec poſsit accipi, niſi fuerit hora ſumendi, quiſquis in Chriſto manens interim ſecedit, non fidem denegat, ſed tempus expectat. Qui autem cùm non ſecederet, cecidit, remanſit negaturus. Diſsimulanda fratres veritas non eſt, nec vulneris noſtri materia & cauſa reticenda. Decepit multos patrimonij ſui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti eſſe potuerũt, quos facultates ſuæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens victa, & anima præcluſa, vt ſerpenti terram, ſecundum Dei ſententiam, deuoranti, præda & cibus fierent qui terreſtribus inhærerent. Hæc diui Cypriani verba ſunt notatu dignisſima: quibus non modo quid facere liceat oſtendit, verùm etiam vt fiat adhortatur, ſuiq; temporis lapſos, ex Dominici & præcepti, & exempli comparatione reprehendit. Quocirca cùm nos perſequitur hoſtis, qui animam quoque nitatur perdere, (quãquam id facere niſi conſentientibus volentibusq; nobis non poſsit) non modo patriam fuga deſerere culpa vacat, verùm etiam fidei præclara virtus eſt, quantum alij contagia locorum, periculaq; corporum fugitant, tantum fidei corruptelam, animæq; perniciem declinare. Hinc tot ſanctorum in Eccleſia, fuga laudabilis, quia patriam quàm cælum relinquere, & pecuniam quàm fidem perdere, & ab amicis alienari, quàm à Deo, maluerũt. Non horruerunt ſolitudinem, quia ſolus non eſt, (ait Cyprianus) cui Chriſtus in fuga comes eſt: Solus non eſt, qui templum Dei ſeruans, vbicunq; fuerit, ſine Deo non eſt. Et ſi fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera inuaſerit, fames ac ſitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem tempeſtas aut pro-

Docet hoc idem Baſilius in moralibus Regula 62. ca. 2. & 3. Ad omnia tempora referens Domini de fuga præceptum.

Lib. 4. Epiſtolarũ Epiſtola. 6.

procella submerserit, expectat militē suum Christus vbicunque pugnantem, & persequutionis causa pro nominis sui honore morienti pręmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit. Nec minor est (inquit) martyrij gloria, non publicè & inter multos perisse, cùm pereūdi causa sit propter Christum perire. Sufficit ad testimoniū martyrij sui testis ille qui probat martyres & coronat. Idcirco Paulus ille memorabilis heremi cultor, cùm persequutionis procella detonaret, in villam primùm remotiorē (vt scriptū est ab Hieronymo) secretioremq; secessit: sed cæpit sororis maritus prodere velle, quem cælare debuerat. Non illum sororis lachrymæ, nō communio sanguinis, non spectans cūcta ex alto Deus, ab scelere reuocauit. At hæc instabat crudelitas quæ pietatem videbatur imitari. Quod vbi prudētissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persequutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit. Hilarionem quoque (vt ait in Tripartita Socrates) ne martyr esset, fuga prohibuit. Fugiebat enim (inquit) quia præceptum diuinum est non expectare persequutores. Nam qui in persequutione comprehēduntur, fortiter ferre iubentur.

Hieronymus in vita Pauli.

Lib. 6. c. 12

Proponuntur ac dissoluuntur quædam argumenta Tertulliani, quibus probare nititur non esse licitam in persequutione fugam.

CAPVT VNDECIMVM.

AT Tertullianus fugiendi consiliū improbat varijs argumentis. Primum est, quia persequutio à Deo euenit. Tametsi enim prębeat ministerium suum iniquitas diaboli, Domini tamen arbitrio res geritur, à quo nisi potestas permittatur, nec homini, nec dęmoni vlla esse in pios

facultas potest. Hic est qui dicit: Ego Dominus creans pacem, & faciẽs malũ, id est bellum. Hic est qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit: Percutiã (inquit) & ego sanabo. Vnde & in Psalmo sic loquuntur afflicti persequutionibus, & vexati Dei cultores, tanquã omnis persequutio à Deo profecta sit: Dedisti nos (inquiũt) tanquam oues escarũ, & in gẽtibus dispersisti nos. & iterum: Quoniã humiliasti nos in loco afflictionis, cooperuit nos vmbra mortis. Igitur si à Deo persequutio euenit, nullo modo fugienda erit: cum quod à Deo sit, neq; euadere quisquã posit, neque euitari debeat quia bonum est. Est enim delictum (inquit Tertullianus) quod bonum sit recusare, præsertim quia Deo visum est. Quàm autem bona sit ac salutaris persequutio, probat hoc modo: Quia tũ magis Deus creditur cũ magis timetur: maximè autẽ timetur in persequutione. Tum enim Ecclesia in attonito est, tũc & fides in expeditione sollicitior, & disciplinatior in ieiunijs, & stationibus, & orationibus, & humilitate, in alterutra diligẽtia & dilectione, in sanctitate & sobrietate. Non enim vacatur nisi timori & spei. Quod igitur tam vtile sit ac salutare, respuere ac fugere nemo debet. Verùm istiusmodi primùm argumentis perinde concluseris, nec pestem, nec famem, nec eluuiones aquarum, nec incendia, nec quicquam talium malorum fugiendum esse: neque his malis resistendum, aut quærenda remedia quibus depellantur. Sunt enim à Deo hæc omnia, nec quicquam nisi quod bonum sit, facit Deus. Tu igitur inundantibus, cunctaq; obuia rapientibus aquis obices aut aggeres obijcies, quas Deus immisit? Tu aduersus famem quam Dei nutu pateris, alimenta conquires? Tu ægritudinem fugare conaberis medicinæ pharmaco, quæ te nutu & voluntate Dei corripuit? quæ in te vitia carnis debilitat? quæ humiliat, & à peccatis multis abstinere cogit? Hoc si facere

Psalm. 43.

facere non liceret, non medicum Sapiens honorari iussisset, quod eum propter eiusmodi morborũ necessitates creauerit altissimus. Iam bella ipsa, hostilesq́ inuasiones aut irruptiones, à quo, nisi à Deo, euenire dicemus? Malè igitur contra Philisthæos Iudęi, cõtra vicinas gentes Paganorũ Machabæi, contra irruptiones Barbaricas Romani toties arma sumpserunt. Malè & aduersum Mahometi successores, nostri maiores tot bella gesserunt, & iisdem etiam nunc, quoad fieri potest, repugnatur. Hic tamen etiam Lutherus victum sese & argumenti pondere pressum fatebitur. Nempe cuius ille est inter cæteros articulus, Præliari aduersum Turcas, esse Deo repugnare, visitanti iniquitates nostras per illos. Fortasse & castitati eiusque professioni propterea repudij libellum dedit, ne repugnaret obstinatius libidini, cuius renatis in peccati pœnam, bella intestina relicta sunt. Et tamen qui hostes immisit in Iudæos ad eorum flagellanda peccata, is Iudæ Machabæo præclarè astitit ad eosdem debellandos. Dedit idem Christianis principibus, aduersus immanissimos Turcas memorabiles sæpe victoriæ triumphos, sæpiúsque (vt opinor) dedisset, nisi prosperos successus, aut nostris viribus atque industriæ, quàm victrici dexteræ Dei maluissemus asignare per superbiam, aut morum inueteratis vitijs corrupissemus, aut domesticis implicati dissidijs interturbauissemus. Loth Abrahæ frater diuina dispositione per hostes captiuus abductus est, & Abrahæ tamen Deus & animũ & vires subministrauit, quibus ille captiuitate liberaretur. Cur ergo reducere voluit, quem Deus abduxerat? cur aggressus est eos bello, quos victoria donauerat Deus? Si autem fugere non licet persequentem, quoniam à Deo persequutio est, nec igitur repugnare bello licet persequenti, ne Deo repugnari, à quo immissa persequutio est, videatur.

Quid? si quos Sathanæ tradiderit Deus exagitandos pro suorũ meritis delictorum, non illũ exturbare licebit? An frustra exorcismos, quibus spiritus immundus abigeretur, Ecclesię donauit suæ? Nec licet potestati resistere, cum scriptum sit: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Sed licet ei potestati, qua quisque pręficitur alijs, non sit resistendum à subditis, ei tamen potestati, quæ nocendi duntaxat permissionem facit, de cuiusmodi potestate scriptũ est: Non haberes potestatẽ in me vllam, nisi tibi datũ esset desuper; huic (inquam) potestati, alia simili diuinitus quoque cõcessa potestate, rectissimè resistitur. Porrò vtilis sæpe multis persequutio est, quis negat? hoc & D. Cyprianus confitetur. Quia traditam (inquit) nobis diuinitus disciplinã pax longa corruperat, iacentẽ fidem & penè dixerim dormientem censura cælestis erexit. Idcirco etiam gaudere & exultare nos voluit Dominus, si propter eum odio sęculi laboremus, persequutionésq; patiamur: quia quando persequutiones fiũt, tunc dãtur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cæli. Magnæ igitur vtilitates, persequutionũ detrimenta sequuntur: verùm hæ non persequutionibus, quæ malę sunt per seipsas, atq; infirmis pręsertim periculosam afferunt tentationem, verùm gratiæ Dei tribuendæ sunt, qua fit vt diligentibus Deum omnia etiam quæ mala sunt & noxia, cooperentur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Hinc & multis sæpe tentationes prosunt, quando facit Dominus cum tentatione prouentũ, vt queant sustinere; & tamẽ quia per seipsas noxiæ, periculum nobis afferũt in hac imbecillitate naturæ, precamur quotidie vt à tentatione & à malo, siue, (vt Tertullianus legit) à maligno liberemur. Tentationẽ enim venire non cupimus, aut si venit, adiuuari petimus, ne languore nostro concidamus. Et quãquam sic quosdam

Serm. 5. de lapsis.

Lib. 4 Epistolarum, Epistola 6.

Lib. de fuga in persequutione.

dam à tentationis hora liberat, vt eos fortes efficiat ac inuictos: hoc tamen etiam modo multi liberantur, si fuga subtracti, in tentationis periculum venire non sinuntur. Et primus quidem ille victoriæ titulus est (ait D. Cyprianus) Gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri. Secundus verò ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum, Domino reseruari. Illa publica, hæc priuata confessio est. Ille iudicem sæculi vincit: hic contentus Deo suo iudice, conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua, iam maturus inuentus est, hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco secessit, quia non erat negaturus: confiteretur vtique, si fuisset & ipse detentus. In quibus Cypriani verbis notandum est etiam in fuga confessionem esse. Nam & hoc Tertulliani fuit argumentum, si confitendum sit, fugere non licere. Quanta (inquit) inæqualitas sententiarum iubentis fugere, & inuitantis ad passionem contrariam fugæ? Qui confessus (inquit) fuerit me, & ego confitebor illum coram patre meo. Quomodo cōfitebitur fugiens? quomodo fugiet confitens? At ipsa (inquam) fuga confessio quædam est. Qui enim se subtraxit etiam patrimonio derelicto, tam se quod credit negare & deserere nolle declarat, vt temporaria malit quàm fidem perdere. Quale verò est quod adiungit? Fœlices (inquit) qui persequutionem passi fuerint causa nominis Christiani: Infœlices ergo, qui fugiendo ex præcepto, non erunt passi. Primum enim an non persequutionem patitur, qui patriam, qui domum, qui parentes & amicos, qui facultates, propterea quod Christianus est, deserere cogitur? si patitur, beatus igitur is quoque est qui fugit, quoniam beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam. Sed, quemad-

Serm. 5. de lapsis. initio.

Secundum argu. Tertulliani.

3. argumentum.

modum Diuus Cyprianus ait: Inferior hic gloriæ gradus est, cauta secessione subtractum Domino reseruari. Non est autem consequens vt infœlix esse debeat, quia summum non est gloriæ gradum consequutus. Ridet deinde quod à Catholicis dicebatur, Christum Dominum infirmitatem quorundam prospicientem, pro sua humanitate nihilominus & fugæ portum demonstrasse. Non enim idoneus erat (inquit) sine fuga tam turpi, & indigno, & seruili præsidio saluos facere in persequutione, quos sciret infirmos. Potest ille (inquam) varijs modis infirmorum saluti consulere. Nam & vnus

Sap.4. est ille de quo scriptum legitur: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum, & ne fictio deciperet animam illius. Hic quoque rideat Tertullianus, & dicat: Non enim idoneus erat in persequutione saluos facere quos sciret infirmos, nisi eos ex hac mortali vita subtraheret: planè idoneus erat ex infirmis, fortes & infractos efficere. Ipse est enim qui dat lasso virtutem, & robur ad vincendum subministrat. Cæterum placuit ei quosdam etiam in sua hic infirmitate relictos, &, si tentatio inuolueret, præ imbecillitate cessuros, ad salutis portum prouehere, vel ex hac vita rapiendo, vel fuga subducendo.

Sermo 22. in Psal. 118 ad illud Cãticorum 8. Fuge frater meus.

Hinc enim Christus fugit (inquit Ambrosius) propter infirmos qui tentamenta grauiora ferre non possunt. Ideo scriptum est, vt de ciuitatibus ad ciuitates fugiamus, & si nos in hac ciuitate fuerint persequuti, fugiamus in aliam. At verò grauius est quod adiungit Tertullianus: Atqui (inquit) non fouet, sed recusat semper infirmos; primùm docens non fugiendos esse persequutores, sed potius non timendos. Nolite timere eos qui corpus occidere possunt, animæ autem nihil valent facere: sed timete eum qui corpus & animam perdere potest in gehennam.

Eousque

Eousque superbit hæresis, vt infirmos non admittat. Aliter verò Paulus: Infirmum (ait) in fide suscipite. Sed quod non ferendæ infirmitatis argumentum? Si timeant eos qui corpus occidunt. At quínam illi qui hos timere censendi sunt? qui fugiunt. Est enim fuga timoris indicium. Hæc ergo Tertulliani ratiocinatio conficitur: Non licet timere, non licet ergo fugere. Sed mirum si ea debeat esse Christiani fortitudo, vt mortem non liceat formidare, quam & Christus naturæ impulsu formidauit. Est enim mors inimica naturæ: & sicuti naturalis inest amor vitæ, ita insitum est nobis odium metúsque mortis. Si mortem igitur, quoniam ea natura est, timere licet, profecto & eos qui mortem inferunt, naturaliter timebimus: quare etiam naturaliter fugiemus. Num Christus igitur in suis discipulis damnauit naturæ motus, quos in seipsum, vt naturæ similis veritas probaretur, admisit? minimè verò. Sed quoniam metus omnis ex amore nascitur, sicuti est amor quidam vitæ vitiosus, quo plus amatur temporaria hæc vita, quàm veritas atque iustitia: ita est vitiosus quidam metus, si mors ista corporis, plusquam æterna damnatio timeatur. Ex hoc enim metu negatur veritas, iustitia violatur, prophanatur religio, occiditur anima ne pereat corpus, offenditur Deus, vt hominis ira vitetur, nec enim de nihilo scriptum est: Qui timet hominem, citò corruet. Hunc ergo metum prohibet Christus, Hunc metum foras mittit charitas, quanquam & æterni supplicij diuinitus infligendi metum eo minuat magis, quo fuerit ipsa perfectior. Hoc metu ne in persequutione caderemus, sed libera constantia cum Apostolis dicere possemus: Obediendum esse Deo potius quàm hominibus; Christus Dominus mortis metum in sua carne susce-

Vide Aug. lib. de gratia & libero arbitrio ca. 18. & ca. 17. circa initium.

Prou. 29.

Vide Athanasiū Ser. 4. contra Arianos.

ſuſcepit, atque ad illius aduentum expaueſcere voluit. Huius denique metus non fuga eſt argumentum, ſed fidei negatio. An non timet eum qui poteſt corpus & animam in gehennam perdere, qui propterea fugit ne cogatur admittere, quod eum traheret in gehennam? qui propterea nullá viarum, nulla ſolitudinis, nulla ferarum pericula reformidat? Num hic ex illis eſt timidis, de quibus ſcriptum eſt in Apocalypſi: Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda? Quin hic potius ille eſt iuſtus, quem ſic in Prouerbijs Sapiens diſcreuit ab impio, vt diceret: Fugit impius nemine perſequente. Iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit. Quod ne ſic acciperes, tanquam iuſtum nunquam fugam arrepturum eſſe ſcriptura ſignificaſſet, in eiuſdē capitis fine etiam hoc addidit Sapiens: Cum ſurrexerint impij, abſcondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iuſti. Exigit poſtea Tertullianus imitationem Chriſti, qui tranſlationem calicis ſic à patre petijt, vt tamen acquieſceret in Domini cognita ſibi voluntate. Veruntamen, inquit, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Nec verò dubitandum eſt, quin cognitæ nobis diuinæ voluntati, ſicuti cognita Chriſto fuit, ſemper ſit obediēter acquieſcendum. Idcirco beatus Gentium Apoſtolus, cum ex Agabo propheta quæ Hieroſolymis paſſurus eſſet, didiciſſet, de diuina voluntate ſatis iam edoctus, non fugam illorum malorum, quæ ſuggerebatur ab amicis, meditatus eſt: ſed potius, Quid facitis (inquit) lachrymantes & cōturbantes cor meum? Ego enim non modo vincula pati optauerim, ſed etiā mori Hieroſolymis pro nomine Domini mei Ieſu Chriſti. Quod cæteri cum audiſſent, aierunt: Fiat voluntas Domini. Quod igitur adhuc

Apoc. 2.

Prouе. 28.

adhuc fugiſſet Paulus, ſi Domini neſciſſet voluntatẽ, id iam non fugit, ſed offert ſeſe vltro, vt cognitam impleat Domini de ſe ſentẽtiam. Fecit hoc ipſum & beatus Petrus Dominici paſtor ouilis. Cùm enim paſsionis eſſet cupidus, tamen rogatus vt ad inſtituendum cõfirmandumq́ populum ſeſe reſeruaret, contemplatione populi precãtis inflexus eſt: Nocte muro egredi cœpit (inquit Amb.) & vidẽs ſibi in porta Chriſtũ occurrere, vrbemq́ ingredi, ait: Domine quò venis? Reſpondit Chriſtus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucẽ diuinũ pertinere reſpõſum, quoniam videlicet Dominus iterum crucifigendus eſſet in ſeruulo. Itaque ſponte remeauit; interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatímque correptus, per crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum. Parendum eſt igitur cognitæ Dei volũtati. Sed hanc quibuſdam priuſquam caperentur patefecit, nec tamen ne caperentur effugerunt, quod ſcirent diuinum impleri decretum oportere. Fugerat enim quondam (ait Tertullianus) quidam animoſus prophetes Dominum: traiecerat ab Ioppem Tharſum, quaſi & à Deo transfretaret, ſed illum non dico in mari & in terra, verùm in vtero etiã beſtiæ inuenio: in quo nec mori per triduum potuit, nec vel ſic Deum euadere. Pertinent ſanè hæc eo, vt intelligamus perſtultũ eſſe, id effugere niti, quod decreuiſſe Deum nouerimus. Sed plerique quid ſit de ipſorum morte diuinitus conſtitutum ignorant, priuſquam iam comprehenſi videant ineuitabiliter ſibi eſſe moriendum. Itaque priuſquam in hoſtilẽ poteſtatem inciderint, tanquam quid decreuerit de eorum exitu dominus vitæ & mortis incerti, neque ſibi facilè ac temere martyrij coronam præſumentes, quæ de Domini dignatione deſcendat, vitam hanc temporariam prudenti atque ſecuriore fugiendi ratione conſeruant: quos ſi poſtea capi contigerit, viderintq́

Lib. 5. Epiſtolarũ in orat. cõtra Auxentiũ.

moriendi

moriendi sibi tempus diuinitus constitutum, fortiter pro Christi nomine mortem excipiunt. Sic ergo quisquis ille est Rutilius (cuius Tertullianus meminit) cum toties fugisset persequutionem de loco in locum, atque etiam periculum (ait Tertullianus) nummis redemisset, post totã securitatem quã sibi perspexerat, ex inopinato apprehensus & præsidi oblatus, tormentis dissipatus (credo, inquit, pro fugę castigatione) dehinc ignibus datus, passionem quam vitarat, misericordia Dei retulit. D. quoque Cyprianus cum moriendi horam adesse vidisset pro Christi confessione, prolata sentẽtia, Statius Cyprianus gladio feriatur; respõdit: Amen. prompto videlicet animo excipiens mortem, quam in hoc tempus videbat diuinitus esse dilatam. Non enim suo quisque, sed diuino consilio moritur. Itaque mortem quidam fugerunt atque supplicia, & in ea, cum sic esset prouisum, inciderunt, coronámque martyrij quam non quęrebant, Dei miseratione repererunt. Alij cum ad mortem pro Christi nomine subeundam magnis votis anhelarent: ideóque ab officij sui ratione propter hostium minas atque insidias nec latum vnguem discederent, non sunt tamen quod cupiebãt cõsequuti. Ego (inquit Ambrosius,) nónne quotidie visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad martyres? non regiam palatij prętexebam eundo atque redeundo? Et tamẽ nemo me tenuit, cum exturbandi me haberent, vt prodiderunt postea, voluntatem, dicentes: Exi de ciuitate, & vade quò vis. Expectabam (fateor) magnum aliquid, aut gladium pro Christi nomine, aut incendium: at illi delitias mihi pro passionibus obtulerunt. Sed athleta Christi non delitias, sed passiones suas exigit. Quin etiam miraculo quodam significat, cum quæreretur in basilica, se fuisse conseruatum: Nónne ante biduum (inquit) vt meministis, etiam illud repertum est, quod à parte leua basilicæ, ingressus

Pontius diaconus in passione B. Cypriani.

gressus

greſſus quidam peruius fuit,quem putabatis clauſum eſſe atque munitum? Sepſerunt nempe armati baſilicam: explorabant hos atque illos aditus: cæcitate perfuſi ſunt, vt quod apertum erat, videre non poſſent. Itaque per plurimas noctes, quod apertum fuit, non ignoratis. Deſinite ergo ſolicitari, quia hoc erit quod Chriſtus iubet, & hoc eſſe expedit. Denique exempla vobis legis proferam. Heliſæus quærebatur à Rege Syriæ, miſſus erat exercitus qui eum caperet, circumuallatus erat vndique: cœpit timere eius ſeruulus, quia ſeruulus, hoc eſt, non erat liberæ mentis & liberæ poteſtatis: petiuit aperiri eius oculos ſanctus Propheta, & ait: Reſpice & vide quanto plures ſint pro nobis quàm contra nos: reſpexit & vidit angelorum milia. Aduertitis igitur, quod ſeruulos Chriſti cuſtodiunt magis qui non videntur quàm qui videntur? At (inquis) hoc illud eſt propter quod non videatur eſſe fugiendum,ſed confidendum de Domini tutela? Eſt (inquam) cum huius tutelæ fidelis conſideratio munit atque armat remanentes,ſi videlicet officij ratio retinet: ſi nulla via demonſtratur humanitus, qua prudenter euitari pericula poſſe videantur: vbi firma fide vſurpandum eſt illud cum pio Propheta: Eſto mihi in Deum protectorem & in locum munitum. Sic enim fit quod B. Petrus ait: Vt qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, non ſecundum ſuum arbitrium, fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis. Cæterum cum ſuppetat euadendi via, ſi te confidas diuinis præſidijs inter hoſtium gladios & tela ſeruandum, quid aliud quàm id ſequeris, quod veteri illa Sathanæ tentatione ſuggeſtum eſt: Mitte te deorſum? ſcriptum eſt enim: Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis? Ideóque vt illi dictum eſt, ſic tibi quoque ne inredicatur, caue: Non tentabis Domi- 1. Pet. c. 4.

Lib. 22. cōtra Faustum ca. 36 Dominum Deum tuum. Pertinet ad ſanam doctrinam (inquit Auguſtinus,) vt quando habet quod faciat homo, non tentet Dominum Deum ſuum. Neque enim & ipſe ſaluator non poterat tueri diſcipulos ſuos, quibus tamen ait: Si vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Cuius rei prior exemplum præbuit. Nam cum poteſtatem haberet ponendi animam ſuam, nec eam poneret niſi cum vellet, in Ægyptum tamē infans portantibus parentibus fugit, & ad diem feſtum non euidenter, ſed latenter aſcendit, cum aliâs palam loqueretur Iudæis iraſcentibus, & inimiciſsimo animo audientibus, nec tamen valētibus in eum mittere manus. Qui ergo palam docendo & arguēdo, & tamen inimicorum rabiem valere in ſe aliquid non ſinendo, Dei demonſtrabat poteſtatem, idem tamen fugiendo & latendo hominis inſtruebat infirmitatem, vt Deum tentare non audeat, quando habet quod faciat, vt quod cauere oportet euadat. Neq; enim & Apoſtolus Paulus deſperauerat auxilium, protectionemq́; diuinā, fidemq́; perdiderat, quando per murum in ſporta ſubmiſſus eſt, vt inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum nō credendo ſic fugit: ſed Deum tentaret ſi fugere noluiſſet, cum ſic fugere potuiſſet.

Liceátne aliquando Chriſtiani populi paſtoribus fuga ſibi conſulere, aut ouium ſibi creditarum curam deſerere, propter pericula perſequutionum.

CAPVT DVODECIMVM.

EST autem hoc loco peculiaris quædam & propria cauſa paſtorum ſeu epiſcoporum, & ea ſanè grauis: vt quibus ſit pro alijs peruigilandum, tāquam ducibus atque cuſtodibus Dominici gregis, ideóque cauendum, ne conſpecto lupo fugiant, pecoraq́; diripienda & lanianda relinquant.

Non

Non enim leue est si Dominus conqueri & deplorare cogatur: Dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri: & dispersæ sunt. Errauerunt, errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super vniuersam faciem terræ. Dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret. Mercenarium esse non pastorem Christus in Euangelio pronunciat, qui videt lupum venientem & fugit: eo quod non pertineat ad illum cura de ouibus, satisque esse putet si lac de grege colligat, & lanis operiatur, tanquam videlicet propter sua commoda præfecturam gereret, nõ propter aliorum vtilitatem & salutem. Talis igitur, cui nihil est in studio potius, quàm vt semetipsum pascat, & ea quæ sua sunt quærat, non quæ Iesu Christi, haud mirandum est si commota persequutione, per quam illi sua commoda periclitentur, aut ouilis sui locum deserat, aut præsens etiam corpore, fugiat animo, curam pascendi, lupinósque morsus propulsandi relinquens: Vereri autem debent istiusmodi pastores quod ait Cyprianus, ne ijs vel negligentia segnis, vel duritia crudelis adscribatur in die iudicij, quod sibi creditas & commissas oues nec curare in pace, nec in acie armare & tueri voluerint. Verùm reperiuntur meliore mente nonnulli, quibus curæ est aliena salus, nec temporaria sua commoda vt prima consectantur: sed eos propriæ salutis pericula terrent, vereunturꝗ ne sibi consulant malè, dum alios conseruare nitantur. Itaque hi subinde tanquam impares oneribus sustinendis, quæ redduntur persequutionum periculis grauiora, deserere quod susceperant meditantur, & in aliquam solitudinem abdere sese, non tam studio quietis, quàm officij rectè faciendi quadam desperatione. Qui profecto cum pericula fugiunt, in grauiora imprudentes incurrunt. Si enim quemadmodum

Lib. 1. Epistolarũ Epistola 2.

G ait

Lib. 1 de vita contemplatiua cap. 16.

ait D. Prosper, periculosum est, nauim inter fluctus cautè non regere: quanto periculosius est, eam vndis intumescentibus fluctuantem, in tempestate relinquere? Ad quam sicut satius est non ascendere, ita semel susceptam conuenit fluctuantis pelagi proiecta formidine, ac spe perueniendi concepta vsque in portum, sine vlla mercium iactura perducere. Et idcirco Ecclesia (inquit) quæ velut nauis per mare mundi huius enauigat, quæ diuersis tentationum fluctibus in hac vita contunditur, quę immundorũ spirituũ persequutionibus, velut quibusdã procellosis fluctibus, in diuersa iactatur, quæ scandalorũ cautibus vadosis illiditur, quę velut aggere arenę grauantis cingitur, non relinquẽda est, sed regẽda: quę sicut omnes quos vehit perducit incolumes, gubernatoris vigilantia gubernata, ita non solùm omnes quos habet, sed etiam ipsum gubernatorẽ perdet, submersa fluctibus aut soluta. Hac ipsa fluctuãtis nauis vsus similitudine Nicolaus Pontifex eius nominis primus, porrectę sibi consultationis decisionem eiusmodi, sua inter rescripta reliquit: Sciscitaris vtrum cùm à Normãnis de Episcopo depellaris, debeas de cætero in monasterio cõuersari. In quo scias, charissime frater, quod si perniciosum est proretam in trãquillitate nauim deserere, quãto magis in fluctibus? Vbi non dicimus (inquit) quod persequutorũ non fugiamus, maximeq́ꝫ Paganorũ insidias, cum ad tempus sæuiũt, & ob multitudinẽ delictorum nostrorum, nocendi facultatẽ diuinitus assequũtur: præsertim cùm eis vltro prodire non debeamus, & multos prophetas & Apostolos, ipsum quoq́ꝫ Dominũ huiusmodi fugisse insequutores, luce clarius cõstet: Sed quod præcipuè nos, qui tanquã arietes ducatum gregibus præbemus, imo qui & horum pastores sumus Deo authore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo cõueniat. Et cum tranquillitas reddita diuina fuerit pietate, sopitaq́ꝫ furen-

furentium infestatio, mox gregem perquirere, & in vnum colligere, & eius animos cœlestis patriæ pace ac potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus. Hoc igitur in persequutione munus episcopi est, Nicolai paucis verbis luculenter expressum: quibus non dissimilia reperias apud Leonem, in ea epistola quæ scripta est ad Rusticum Narbonensem Episcopum: Quem alloquens, Miror (inquit) dilectionem tuam intantum scandalorum quacunque occasione nascentium aduersitate turbari, vt vacationem ab Episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atque otio vitam degere, quàm in his quæ tibi commissa sunt permanere. Dicente verò Domino: Beatus qui perseuerauerit vsque in finem; vnde beata erit perseuerantia, nisi de virtute patientiæ? Nam secundum Apostolicam prædicationem: Omnis qui voluerit piè viuere in Christo Iesu, persequutionem patietur. Quæ non in eo tantum computanda est, quod contra Christianam pietatem aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscunque supplicijs, cum persequutionum sæuitiam suppleant & dissimilitudines morum, & contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum: quibus conflictationibus cum omnia semper Ecclesiæ membra pulsentur, & nulla piorum portio hic à tentatione sit libera, ita vt periculis nec otia careant, nec labores, quis inter fluctus maris nauem diriget, si gubernator abscedat? Quis ab insidijs luporum oues custodiet, si pastoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obsistet & furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum ab intentione solicitudinis, amor quietis abducat? Hæc Leo. Quod si non & inter hostes suos periculáque persequutionum stare fortis ac perseuerare cum grege deberet Episcopus, non sic Angelo Pergami ecclesiæ in Apocalypsi scriptum legeremus; Scio vbi habitas, vbi

Epistola 92

Apocal. 2.

ſedes eſt Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam: Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, vbi Sathanas habitat. Quàm autem & in ſede ſathanæ conſtitutus vigilare debuerat, conſequentibus oſtéditur: Habeo (inquit Dominus) aduerſum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſraël, edere & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age: ſi quo minus veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. Ne verò quiſquam hęc ſic à nobis dici miretur, quaſi nunquam paſtoribus fugam licitam arbitremur, adhibenda eſt ea conſideratio, cuius nos D. Auguſtinus prudentiſsimè doctiſsiméque ſimul admonuit, in ea Epiſtola quam ſcripſit ad Honoratū Epiſcopum: Cùm enim hic impendente Vandalica perſequutione, litteris quæſijſſet, eſſétne recedendum Epiſcopis & clericis, diligenter hoc imprimis commendauit Auguſtinus, ne plebs vnquam ſine miniſterio neceſſario relinqueretur. Namque (vt ait) an non cogitamus cum ad iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, alijs baptiſmum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & ſacramentorum confectionem & erogationem? Vbi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus etiam eſt luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorundam quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorū & miniſtrorum? Vide (inquit) quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo ſit acquiſitio malorum æternorum.

Poſsidonius in vita Aug.

Si au-

Si autem ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subuenitur: alij baptizātur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis cōmunione fraudantur: omnes cōsolantur, ædificantur, exhortātur, vt Deum rogent, qui potens est omnia quæ timentur auertere, parati ad vtrumque, vt si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas eius, qui non potest mali aliquid velle. Hoc igitur cōstituto, vt necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, fideles non fraudentur, quos suo Christus sanguine comparauit: si quisque ministrorum specialiter quæritur à persequutoribus, huic omnino permittitur fugere de ciuitate in ciuitatem. Tunc (inquit) de locis in quibus sumus, præmente persequutione, fugiendum est Dei ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi. Sicut in sporta submissus fugit Apostolus, cum à persequutore propriè ipse quæreretur, alijs vtique necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministerium absit vt desereretur Ecclesiæ. Sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehēdere Constantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet & ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum fuga illa damnabilis, quibus non est cura de ouibus? Veniet enim lupus non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus Dominici corporis quotidianum ministerium defuit: & peribit infirmus in sua non scientia sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine

ſuperantur, quare non potius contra ſuum timorem Domino miſerante atque adiuuante fortiter dimicant, ne mala ſine comparatione grauiora, quæ multo amplius ſunt tremenda, contingant? Fit hoc vbi Dei charitas flagrat, non mundi cupiditas fumat. charitas enim dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Sed charitas ex Deo eſt. Oremus ergo vt ab illo detur à quo iubetur: & per hanc magis timeamus ne oues Chriſti ſpiritalis nequitiæ gladio in corde, quàm ne ferro in corpore trucidentur. Magis timeamus, ne ſenſu interiori corrupta pereat caſtitas fidei, quàm ne fœminæ violenter conſtuprentur in carne: quia violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſeruatur. Magis timeamus ne lapides viui extinguantur deſerentibus nobis, quàm ne lapides & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præſentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Chriſti deſtituta ſpiritali victu, necentur, quàm ne membra corporis noſtri, oppreſſa hoſtili impetu, torqueantur. Non quia iſta non ſunt vitanda cum poſſunt, ſed quia potius ferenda ſunt, quando vitari ſine impietate non poſſunt. Vnde illud, quod Epiſcopum quendam dixiſſe audierat Auguſtinus: Si Dominus nobis imperauit fugam in perſequutionibus, vbi poteſt fructus eſſe martyrij, quanto magis debemus fugere ſteriles paſsiones, quando eſt Barbaricus & hoſtilis incurſus? Hoc (inquam) verum quidem eſſe fatetur & acceptabile, ſed his quos Eccleſiaſtici officij non tenent vincula. Rectè proinde & Tertullianus cleri fugam reprehendit, quando per eam ſic deſeritur Eccleſia, vt grex derelictus præda fiat beſtiarum agri, dum non eſt paſtor illis. Verùm quod eo ſtatuat nec cuiquam de grege fugere licere, quia non liceat paſtoribus, nulla id omnino

nino consequutionis necessitate concluditur. Atque si grex fugere deberet, (inquit) nec deberent præpositi stare, sine causa staturi ad tutelam gregis? Sanè, vti antea dictum est ex Augustino, foret ea clero vniuerso ad alia loca commigrandi iustissima ratio, si grex nullus, qui pascendus ac protegendus esset, remaneret. Sed quàm multi plerumque, quod licet, facere non possunt? Quia manet igitur grex, quæriturque totus, manere quoque debent illi per quos est Ecclesiastica supplenda necessitas, ne vigilijs custodiisque remotis, caulæ Dominicæ spiritualium bestiarum pateant incursibus: manere ipsi præcipuè pastores ac duces debent, qui ad confessionis arma sumenda & facienda martyria, non verbis plebem (vt ait Cyprianus,) sed factis cohortentur: & imminente Antichristo, parent ad prælium milites, non solùm sermonis & vocis incitamento, sed fidei & virtutis exemplo. Dixerit hic quispiam, Diuum Cyprianum, cum peculiariter ipse tanquam Christianorum Papa quæreretur, & latebras inuenire, sicuti cæteri presbyteri, quos Valerianus imprimis inquiri iusserat, facilè potuisset: non tamen latuit, aut fugam meditatus est, sed in hortis suis sese continuit, tanquam vt comprehenderetur expectans. Sed cum quid detinuerit, Diuus Augustinus ostendit in eo sermone, quem scripsit de sancto Cypriano: Cum (inquit) Cyprianus Sanctus Martyr, de ciuitate Tiburitana, in quam exilio, præcepto Aspasij paterni præconsulis, missus fuerat, regrederetur, in hortis suis manebat. Et inde quotidie sperabat venire ad se, sicut ostensum erat illi. Quid iam fremeret persequutoris impetus, aduersus cor semper paratum, accedente etiam Domini reuelatione firmatum? Quando enim desereret patientem, qui non est passus præoccupari

Lib. 1. Epistolarum Epistola 1. ad Lucium Papam.

cupari nescientem? Simile quiddam de Beato Po-
Lib.4.c.15 lycarpo Ecclesiastica Eusebij historia commemorat. Is enim populi furentis acclamatione petitus, tanquam dux & conseruator cæterorum, cum in ciuitate vellet interritus permanere, acquiescens tamen deprecantibus se familiaribus suis, in agrum quempiam ciuitati proximum secessit. Illic autem in oratione positus, triduo antequam comprehenderetur, videt per quietem ceruical sui capitis flammis esse consumptum: cumq; euigilasset, interpretatus est astantibus somnium, asserens se propter Christum per ignem vitæ exitum sortiturum esse. Incertus tamen de tempore, hoc quoque tribuit votis amicorum, vt alium in locum commigraret. Sed cum illic quoque per indicium cuiuspiam ad id coacti verberibus fuisset deprehensus, etsi erat ei perfacilis ex ea domo ad alteram transitus, mouere se tamen loco, & iterum latebras quærere noluit, dicens: Domini voluntas fiat. Quin etiam cum suos comprehensores adesse comperisset, progressus in occursum, læto admodum vultu ac placido viros compellauit. Fugam igitur vlteriorem in illis viris inhibuit certa expectatio passionis, de diuina reuelatione descendens, qua tempus adesse diuinitus constitutum admoniti, promptam ad patiendum pro Christi nomine exhibuere volūtatem: quam auidam martyrij & prius habuerant, nec id tamen tanquam sese ingerendo quæsierunt. Quod ipsum si nonnullos fecisse legimus, mirandum id magis quàm passim imitandum esse videtur, & raræ cuidam subministrationi spiritus assignandum. Exemplum habet D. Ambrosius beati Sebastiani, vbi in Psalmum 118. commentatur: Si multę persequutiones (inquit) multæ probationes; vbi multæ coronæ, multa certamina. Tibi ergo proficit quod multi persequutores sunt, vt inter multas persequutiones facilius inuenias quomodo coroneris.

Vtamur

Vtamur (inquit) exemplo beati Sebaſtiani Martyris, cuius hodie natalis eſt. Hic Mediolanenſis oriundus eſt: fortaſſe aut iam diſceſſerat perſequutor, aut adhuc non venerat in hæc partium, aut mitior erat. Aduertit hic aut nullum eſſe, aut tepere certamen: Romam profectus eſt, vbi propter fidei ſtudium perſequutiones acerbæ feruebant: Ibi paſſus eſt, hoc eſt, ibi coronatus. Si vnus perſequutor fuiſſet, coronatus hic martyr vtique non fuiſſet. Quærebat tum beatus ille vir certamina, & occaſionem pro Chriſto moriendi venabatur. Quale quiddam & de beato Franciſco memoratur, qui martyrij cupidus, ad Solthanum ſe contulit, vt cruce prædicata, daretur occaſio quæpiam eandem per mortem illuſtrandi. Memorabilis verò hic fuit beatus martyr Gordius, D. Baſilij litteris celebratus: qui cùm prius furente perſequutione Gentilium fugiſſet, ſéque in ſolitudinem abiecto baltheo militari contuliſſet, poſtea ſpiritualibus exercitijs, diuiniſque meditationibus inſuperabilis factus, & ad martyrium obeundum diuinitus incitatus, redijt: eóque potiſsimum tempore, quo equeſtri ſpectaculo omnium oculi tenebantur, ex eminentiori theatri parte clarè illud pronunciauit: Ecce inuentus ſum ab ijs qui me non quærunt: his qui me non interrogant palam apparui. & poſtea iudici: Reuerſus ſum (inquit) palam oſtendens quod tua edicta nihil curo. Quæ magis inſtinctu diuino facta credenda ſunt, quàm ordinaria ſibi bene conſulendi ratione.

Non debere quenquam temerè ſeſe in perſequutionum pericula conijcere.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

QVippe noſtram infirmitatem ſemper debemus habere ſuſpectam, ex qua non in grauibus

nibus modò, verùm etiam leuioribus tentationibus deficimus, nisi diuina manu sustentemur. Ideóque monet Apostolus, vt cum timore & tremore nostram salutem operemur, quia Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Quod piissimus Propheta cum aliquando non aduerteret, dixit in abundantia cordis sui: Non mouebor in æternum. Sed quid euenit? quáve ratione tam securi cordis est castigata præsumptio? Auertisti (inquit) faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Sed ecce tamen & alterum: Domine (inquit Petrus) etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Feruebat illi pro Christo animus, séque posse putabat quod velle sentiebat: verùm labentem infirmitatem nõ multo pòst ruina manifestat. Ideóque promptis quibusdam & quodam martyrij desiderio feruentibus Dominus misericorditer subtrahit occasiones, ne suos supra id quod possunt, tentari permittat. Certè D. Ambrosius de semetipso loquens & confitens, quid pluribus diuina miseratione
Epist. 23. præstetur ostendit: Peto (inquit) mihi passionem martyrij: spiritus promptus est, sed videns infirmum carnis meæ, ne dum maiora cupio, minora amittam, dicit: Non potes hæc accipere. Quales (ait) occasiones habui? & de ipso prope fine reuocatus sum. Nouit enim bonus medicus, quæ esca cui apta sit infirmitati, & cui tempori ad profectum valetudinis. Interdũ opportunitas escæ, sanitatem reddit: quod si importunè aliquis accipiat, aut non conuenienter, implicatur periculo. Quia ergo nescimus (inquit) quid oremus, & quomodo oportet, spiritus postulat pro nobis. Narrat
lib. 4. eccl. hist. cap. 15 quendam Corinthium Ecclesiastica historia, ex epistola Smirnensis Ecclesiæ, exemplo aliorum accensum, dum & ipse fortiter facere statuisset, turpiter in tormentis, quæ sibi temerè accersierat, defecisse: Quæ res (inquit) cum ad martyrium

pro-

procacia potius & temeritate, quàm deuotione prosilijsse declarat. Ipse namque se iudicijs ingesserat. Victus itaque exemplum euidens omnibus dedit, cautius in rebus talibus & circunspectius agendum, quia non temeritas, sed fides & modestia coronatur. Hęc memorata epistola, & quidem rectissimè. Etenim orare nos Dominus iubet ne intremus in tentationem: propterea etiam Christum (ait Chrysostomus) non vltro isse in eremum, sed à sancto Spiritu ductum esse Matthæus commemorat: per ista nobis clam suggerẽs, quod non sponte nosipsos in tentationes oporteat insilire, sed si tracti fuerimus, viriliter stare. Idémque alio loco: Oremus (inquit) Deum, ne intremus in tentationem. Si autem intrauerimus, feramus fortiter. Illud quidem temperantium hominum est, vt seipsos in pericula non præcipitent; hoc autem fortium & Philosophorum. Non itaque nosmetipsos præcipitemus quomodolibet, temeritatis quippe esset: neq; iterum aduersis iacta ti, & rebus sic vocantibus, cedamus, timoris namque hoc esset. Sed siquidem prædicatio verbi nos vocauerit, non renuamus: temerè verò, neque existente causa, neque vtilitate aliqua, neque necessitate quæ ad pietatem pertinet, vocante, non irruamus: ostentatio quippe esset & ambitio honoris superflui. Si autem aliquid eorum quæ lædunt pietatem contingat, etiamsi mille mortes sustinere nos oporteat, nihil renuere debemus. Non prouoces tentationes, quando tibi ea quæ ad pietatem pertinent, pro voto procedunt: vt quid superflua tibi accerseres pericula nullum lucrum habentia? Hæc dico (inquit) volens vos custodire leges Christi, iubentis orare, ne intremus in tentationem, & iubentis vt crucem nostram tollamus, ipsúmque sequamur: hæc quippe non sunt contraria, sed valde conuenientia. Tu quidem esto præparatus sicut miles fortis, in armis

Matth. 26

Homil. 13. in Matth.

Vide etiam homil. 67. ad populũ Antiochenũ

mis perpetuò ſobrius, vigilans, ſemper hoſtem expectans: bella ſanè non excites; hoc quippe militis non eſt, ſed ſeditioſi. Si verò tuba pietatis vocauerit, confeſtim procede ; & contemne animam, & ingredere cum multa alacritate in agonem: rumpe aciem aduerſariorum, concide faciem diaboli, ſtatue trophęum. Si autem pietas nihil lęditur, neque depopulatur aliquis noſtra dogmata, dico autem ea quæ ad animam pertinent, neque cogit aliquid facere quod Deo non placeat, noli eſſe ſuperfluus. Hæc Chryſoſtomus. Quibus iungendum eſt quod D. Cyprianus admonuit in eo libro quem ſcripſit de ſingularitate clericorum. Quia ſunt enim qui prætextu gratiæ auxiliatricis, quam ſibi temerè præſto affore pollicentur, minus tentationum pericula refugiunt: Accipimus (inquit) fortitudinem ſpiritualem, per quam ſubſtantiæ noſtræ fragilitas roboretur: ſed ita nobis ſpiritualis fortitudo collata eſt, vt prouidos nos, non præcipites tueatur. & rurſum in eodem libro: Ordine ſuo, non noſtro arbitrio, virtus Spiritusſancti miniſtratur, & ſecundùm inſtitutum eius, prælia proſperantur, nunquam niſi præcipitatus exercitus cecidit, qui auidus facere ducis vel imperatoris ſui diſpoſitiones, irrupit: multo magis per perituram erogat fortitudinem, qui ſine armis doctrinæ magiſtri ſpiritus, præſumpſerit triumphare, cum dicat: Veh qui per pręſumptionem ſuam aliquid faciunt, non per Deum. Sic eo libro Cyprianus. Sed erũt etiam fortaſſe, qui propter continentiam & vitæ ſublimius aliquod inſtitutum, plus quiddam ſe in perſequutione præſtare poſſe putabunt, quàm inferiores alij, quos certaſſe fortiter & viciſſe cognouerint: ideoq́ tanquam ſecuriores de victoria, periculorum eſſe volent contemptores. Hic verò prudẽter Auguſtinus virginem admonuit, ne tale quid ſibi temerè arrogaret, quale fortes nonnullos etiam coniugatos feciſſe vidiſſet vel a[illegible]ſſet, verùm

Lib de ſancta virginitate c. 47

rum submissè potius de semetipsa, suaq́; firmitate sentiret. Habet virgo quod cogitet (inquit) vt non infletur, non æmuletur, ita se videlicet bonum virginale bono coniugali multo amplius & melius profiteri, vt tamen nesciat, vtrum illa vel illa coniugata iam pati pro Christo possit, adhuc verò ipsa non possit, & in hoc ei parcatur, quia infirmitas eius tentatione nō interrogatur. Fidelis enim Deus (inquit Apostolus) qui vos non permittit tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Fortassis illi vel illæ, coniugalis vitæ retinentes in suo genere laudabilem modum, iam possint contra inimicum ad iniquitatem cogentem, etiam laniatu viscerum & effusione sanguinis dimicare. Illi autem vel illę, à pueritia continentes, seq́; castrantes propter regnum cœlorum, nondum tamen valent talia vel pro iustitia, vel pro ipsa pudicitia sustinere. Aliud est enim pro veritate ac proposito sancto, non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti atque ferienti. Latent ista in facultatibus & viribus animorum: tentatione panduntur, experientia propalantur. Hactenus Aug. Idcirco & beatus Gregorius: Cum persequutionis apertè (inquit) tempus ingruit, sicut plerique martyrium subire possunt qui in pace ecclesiæ despicabiles esse vidētur, ita nonnūquam in debilitatis formidinem corruunt, qui in pace ecclesiæ fortiter prius stare videbantur. Rectissimè proinde Tuitiensis Rupertus admonuit his verbis, scribens in decimum Matthæi caput: Non præsumas de spiritu fortitudinis, non cito teipsum præcipites in caminum tentationis, sed timens ne fortè martyrio dignus non sis, fuge, quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et iustius necessitas quàm voluntas coronam parit. Verūtamen si expertus es veraciter quod donum habeas supernæ fortitudinis, & hoc tibi Spiritus

1. Corin. 10

Lib. 3. dialogorum cap. 28.

sanctus

ſanctus aliquo modo reuelauit, laudabile eſt vt vexillum crucis vltrò arripias, & procurrens contra hoſtem, in procinctu fidei confirmes infirmos, & ſperandæ à Deo fortitudinis exéplum præbeas. Sic Rupertus. Quia ſcriptum eſt igitur, Qui ſtat videat ne cadat; parumq́ voluntatis noſtræ vires habemus exploratas, nec raro pium deſiderium, perficiendi facultas deſtituat: plerique tentationem non aduocare, ſed fugere debemus, ne ſi periculum quæſiſſe videamur, in eo implicati pereamus. Eſt interim verum quod Auguſtinus dicit alio in loco: Sicut ſe infirmitas eorum firmitáſque habuerit, metuunt ſancti tentari, cupiunt tentari: dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus; vt enim metuant tentari, audiunt: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, intendens teipſum ne & tu tenteris. Vt autem cupiant tentari, audiunt quendam virum fortem ciuitatis Dei dicentem: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum: vt doleant in tentationibus; vident Petrum flentem: vt gaudeant in tentationibus. audiunt Iacobum dicentem: Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. De iuſto quoque perfecto & exercitato cum D. Ambroſius loqueretur: Iuſtus (inquit) optat probari, tentari non timet. Qui enim ſtatuit cuſtodire iudicia Dei, non timet tentationes. Talis nimirum eſt qui dicit: Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Stat Dauid mentis ſtatione fundatus, nec timet ne in his mundi tenebris poſsit errare. Si enim metueret, non iuraret. Eſt autem hic luculenta prorſus nec prætereunda nobis D. Athanaſij inuictiſſimi Alexandrinorum præſulis oratio. Is in Apologia qua ſuam fugam tuetur, aduerſus maledicos Arianos, qui eum vitioſæ timiditatis accuſabant, poſteaquam exemplis compluribus & ſcripturarum

lib.14. de ciuit.cap.9

Galat.6.

ſermo.14. in pſal.118

rum

rum testimonijs licitam esse docuisset in persequutione fugam, eruditissimè commóstrat, quemadmodum & vitanda sit temeritas, ne nos in pericula præcipites ingeramus, & diuinæ voluntati, simulatque patefacta fuerit, obedienter acquiescendum. Hoc enim imprimis constituit, cuique suæ vitæ tempus diuinitus esse mensuratum, nec longiorem cuiusquam aut breuiorem, quàm ille dominans in nobis Deus voluerit, vitæ cursum futurum esse. Id autem vt norūt sancti, ita eosdem ignorare subiungit terminos præfixi sibi temporis. Idcirco enim à Dauide peti: Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Hoc ipsum Ecclesiasten quoque disertis verbis expressisse, cum diceret: Et non nouit homo tempus suum. Propterea quoque dixisse patriarcham Isaac filio suo Esau: Ecce consenui, & ignoro diem finis mei. Hinc iam docere pergit, neminem ingerere sese in mortem debere, vt tanquam sibi ipse definiat tempus moriendi, quod Deo soli perspectum est, sed quoad ille permiserit, vitam eius munere concessam, conseruandam esse fuga & latebris: vbi autem horam ipse ostenderit, tum minimè repugnandum esse. Vtitur exemplo Christi: Qui sciens (inquit) quot cuique annos admensus esset, neque ignorans quod tempus ad patiendum suo corpori præfinisset, vbi propter nos homo factus esset, cæteris diebus, qui hoc tempus antecedebant, nostro more, cum quæreretur, sese occultabat, & cum eum persequerentur, effugiebat: insidiásque deuitans, per medios illos transibat. Quum autem tempus à se definitum ipse sibi adduxisset, in quo corporaliter pro hominibus pati volebat, tunc alloquutus est his verbis patrem: Pater venit hora, clarifica filium tuum; nec iam inde se quærentibus subduxit, sed volens comprehendi substitit ac remansit, atque ita eis qui aduersus se tendebant, loquutus est: Quem quæritis? Illísque respon-

reſpondentibus, Ieſum Nazarenum, dixit: Ego ſum. Neque ſemel duntaxat, ſed ſecundò id fecit, atque ita poſtmodum eum abduxerũt ad Pilatum. Neque ante tempus permiſit ſe capi, neque cum tempus adeſſet ſeſe occultauit, ſed ſeipſum obtulit inſidiatoribus. Deinde adiungens exempla ſanctorum: Sancti verò (inquit) pro formula accepta, vtpote à Domino eruditi, & priſcis olim & ſequentibus temporibus, in certamine quod illis erat cum perſequutoribus, & fuga ſe inſtantibus eripiebant, & quærentibus ſeſe per latebras ſubducebant: quippe (vt homines) ignari erant temporis ſibi à diuina prouidentia conſtituti, ac proinde minimè ſeſe inſidiatoribus ingerebant, cum non ignorarent quod ſcriptum eſt: In manibus Dei eſſe ſortes hominum, & Dominum occidere & viuificare: atque ideo vſque ad decurſum ſui temporis expectare maluerunt: oberrantes interim (vt Apoſtolus dixit) in melotis & renonibus per ſolitudinem defraudati, afflictiq́, & in ſpeluncis foraminibúſque terræ latitantes, donec aut mortis definitum tempus ſuperueniret, aut quoadusque definitor temporis Deus ipſis hoc indicaret, vel perſequutores inhibens, vel perſequutoribus eos tradens. Quod aliquando inter fugiendum conuerſo itinere ſe in aduerſarios intulêre, non temerè hoc ab illis neque inconſultè factum eſt. Admoniti enim à ſpiritu, ſeſe perſequutoribus obuios ferebant, etiam tum quoque ſuum obſequiũ promptitudinemq́ declaraturi: Qualis erat Helias à ſpiritu hoc audiens, & apparens corã Achab. qualis & Michæas propheta, ad Achab accedens. Et poſt multa concludit: Vtilis igitur (inquit) & non infructuoſa populis fuga ſanctorum, etiamſi id Arianis non videatur. Quapropter ſancti (quemadmodum dictum eſt) fugientes ſeſe occultabant, & per diſpenſationem vt medici in vſus indigentium reſeruabantur. Reliquis autem & in

& in vniuersum omnibus, ea lex proposita est, vt fugiant dum in persequutionibus appetuntur, & occultent sese dum quæruntur, neque præcipites temerariiq; sint in tentando Domino, sed expectent donec definitum moriendi tempus aduenerit, aut iudex ille aliquid de ijs quod sibi rectum videatur, constituerit. Sed tamen nos semper paratos esse voluit, vt vel vocante tempore, vel apprehensi pro Ecclesia vsque ad mortem dimicemus. Hoc & beati martyres temporibus persequutionum obseruauerunt, ijdemque quamdiu in latebris erant sese obturabant: vbi autem inuenti essent, martyrium obibant. Quod si quidam ex ijs se persequutoribus dediderunt, non temeritate eo rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur à Spiritu sancto hanc promptitudinem, suique oblationem profectam esse. Et ad hũc quidem modum B. Athanasius prudenter considerateq; perfecit, ne quisquam illi vitium meticulositatis obijciẽdum putet. Nã cum pastoralis memor officij, caueret id maximè ne populum gregemq; suum prodidisse videretur, non prius sese fuga subduxit, quàm & à suis vt id faceret monitus esset, quem vnum quæri non ignorabant, & diuino esset miraculo, quo liberet id magis, confirmatus. Sicuti & sæpè aliâs (vt est apud Theodoretum in Tripartita) diuino nuntio pericula multa fertur effugisse. Sic autem de se scribit in fine Apologiæ: Nox erat, multique ex populo ad proximam synaxim in orationibus peruigilabant, cum dux exercitus Syrianus ingessit se pluribus quàm quinque milibus, quorum alij arma, alij stricτos gladios gestabant, alij arcus, iacula, fustes: & Ecclesiam, militibus propè inter se consertis manibus, ne quisquam inde exiret aut elaberetur, cinxit: Ego autem cum in tanta tribulatione populos deserere absurdum putarem, & rectius esse vt pro alijs pericula susciperem, ma-

lib. 5. tripar. ca. 26.

nebam ſedens in cathedra mea, diacono iuſſo vt Pſalmum recitaret: Quoniam in ſæculum miſericordia eius; & poſt recitationem quiſque domum abiret: vbi cum dux iſtarum cohortium vi in templum irrupiſſet, militéſque ſacrarium, ad me intercipiendum, obſiderent, quotquot ex clero, populóve reſidui erant, clamitare, obſecrare, vt me ſubducerem: ego contra, niſi omnibus ad vnum digreſsis, me receſſurum pernegabã: quapropter relicta cathedra, iniunctíſque precibus obſecrabam, vt abitum maturarent: melius enim eſſe iudicabam ſi ipſe in periculum venirẽ, quàm vt quiſquam illorum acciperet. Digreſsis igitur pleriſque, cæteriſque eos ſubſequentibus, monachi mei & nonnulli ex clericis inter abeundum me ſecum abſtraxerunt. Atque ita (teſtor veritatem) per milites, quorum alij ſacrarium cingebãt, alij per templum oberrabant, inoffensè tranſiuimus: Domino duce & protectore, nihílque ipſis ſentientibus elapſi ſumus, Deum interim magnificè glorificantes, quod neque populum prodidiſſemus, & quod ijs prius ſine noxa dimiſsis, quærentium manus effugiſſemus. Quum igitur diuina prouidentia nos ita mirabiliter ex hoc periculo eripuerit, quis mihi id iure vitio vertendum putet, quod non vltro me in manus quærentium reiecerim, aut remenſo itinere, me eorum oculis ingeſſerim? Hæc igitur Athanaſius. Quod verò D. Cyprianus permittit quibuſdam, tacitéque hortatur, vt repetant agonem martyrij, ad eos referendum eſt qui lapſi fuerant prius. Quorum tametſi delictum poterat pœnitentiæ ſatisfactione purgari, tamen id quoque reſtabat, quod meritò facerent, vt diuinum honorem repararent confitendo, cui negando labem intulerant. Si nimium (inquit) properant, habent in ſua poteſtate quod poſtulant: largiter acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur: Si commiſsi verè

Lib. 3. Epiſtolarum Epiſt. 18.

& ſi-

& fideliter pœnitet, & fidei calor præualet, qui differri non potest, potest coronari. Denique notãdum est quod idem ait Cyprianus in eo sermone quem scripsit de mortalitate, nõ esse martyrium in nostra potestate, sed de Domini dignatione pendere. Cũ enim grassante peste, multosq; cum Gentilibus Christianos quoque rapiente, non deessent qui se quererẽtur morte præueniri, qui tamen sese ad tolerantiam passionis toto corde & plena virtute deuouissent, hunc quoque impatientioris animi motum sedare volens Cyprianus: Primo in loco (inquit) non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium: nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere. Deinde Deus scrutator renum & cordis, & occultorũ contemplator & cognitor, videt te, & laudat, & comprobat. Et qui perspicit apud te paratã fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem. Nunquid Cain cum Deo munus offerret, iam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptũ Deus prouidus ante damnauit. Vt illic cogitatio mala & perniciosa conceptio, Deo prouidente prospecta est: ita & in Dei seruis, apud quos confessio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonũ deditus, Deo iudice coronatur. Aliud est martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Qualem te inuenit Deus cum vocat, talem pariter & iudicat. Et ad istum quidem modum Cyprianus.

Cauendum esse Christiano, ne incauta temeritate persequutionem vel excitet, vel exacerbet.

CAPVT XIIII.

NEc prætereundum est, quod D. Ambrosius, cum de officijs scriberet vitæ Christianæ, his verbis scriptum reliquit: Cauendũ reor (inquit) ne dum aliqui nimia gloriæ ducuntur cupiditate, insolentius abutãtur potestatibus, & ple- *Lib 1. officiorũ c. 42.*

runque auersos à nobis animos Gētilium in studia persequutionis excitent, atque inflamment ad iracundiam. Itaque vt illi perseuerare posint, & supplicia vincere, quantos perire faciunt? Et erunt tamen fueruntq; semper, qui zelo pietatis hoc se facere arbitrarentur, & fortasse etiam facerent zelo quopiam religioso incitati, sed non circunspectè satis prudenterque suscepto: velut qui dominante adhuc per Imperatores ac Reges Gentilitatis errore, aut deorum inflammabant delubra, aut in ijs idola conterebant. Nam in Perside quidem fuit aliquando hæc grauisimæ persequutionis occasio, quod Pyrrhæum, id est, ignis templum, intempestiuo cuiusdā Abdę calore fuisset incensum. Quod non rectè factum, ille postea constantisimæ pietatis firmitate correxit. Templum enim reædificare iussus, noluit, ne diuinos honores creaturæ detulisse videretur. Sicuti nec synagogam Iudaicam reædificare licuisse, declarat Ambrosius Episcopo, etiamsi illam ipse feruentior exuri iusisset. de quo scriptum sic habet Epistola 29. quę scripta est ad Theodosium Imperatorem, vindicari iubentem in Episcopum & Christianos, quod synagogam Iudæorum incenderant. Relatum est (inquit) à comite Orientis militarium partium, incensam esse synagogam, idq; authore factum Episcopo: Iusisti vindicari in cæteros: synagogam ab ipso ædificari Episcopo. Non astruo expectandam fuisse assertionem Episcopi. Sacerdotes enim turbarum moderatores sunt, studiosi pacis, nisi cum & ipsi mouentur iniuria Dei, aut Ecclesiæ contumelia. Sit aliquis iste Episcopus feruentior in exustione synagogæ, timidior in iudicio: non vereris Imperator ne acquiescat sententię tuæ? ne præuaricetur non times? non etiam vereris quod futurum est, ne verbis resistat comiti tuo? Necesse erit igitur vt aut præuaricatorem, aut martyrem faciat: vtrumq; alienum tēporibus tuis, vtrumq; perse-

Theodoretus lib 5. cap. 39. Habes simile quiddā de Marco Arethusiorum Episcopo: qui templū eorum prophanum, quod euerterat sub Constantio, iussus reædificare aut impensas dare, nec obulum quidem daturum se constantißimè respondit. lib 6. Tripartitæ ca. 12.

persequutionis instar, si aut præuaricari cogatur, aut subire martyrium. & infra: Quid? si alij timidiores, dum mortem reformidant, offerant vt de facultatibus suis reparetur synagoga? aut Comes vbi hoc compererit primò constitutum, ipse de Christianorum censu exędificari iubeat? Habebis Imperator comitem præuaricatorem, & huic vexilla committes victricia? huic labarum? Quia verò zeli istiusmodi imprudentis opera, Christianæ modestiæ & patientiæ labem sæpenumero grauem inferebant, decretum fuit, ne qui in templis idolorum, propterea quod illa demolirentur, fuissent à Gentilibus interfecti, martyrum honores acciperēt. Nec immeritò etiam displicuisse videntur Mensurio Ecclesiæ Carthaginensis ante Cæcilianum Episcopo, ab ijsq; honorandis Christiani prohibiti, qui se non comprehensi offerebant persequutionibus, & vltro dicebant se habere scripturas, quas non traderent, cum hoc ab eis nemo quæsijsset. Quid enim hoc erat aliud, quàm persequutionem prouocare? & bilem mouere Tyranno? Fuerunt igitur, qui ea facerent vel imprudentes & temerarij, vel gloriæ cupidi. Quidam etiam erant facinorosi fisci debitores, qui occasione persequutionis, vel carere volebant onerosa multis debitis vita, vel purgare se putabant, & quasi abluere facinora sua, vel certè acquirere pecuniam, & in custodia delitijs perfrui de obsequio Christianorum. Scribit Eusebius quendam Nicomediæ virum nobilem & illustrem sæculi dignitate, simul vt vidisset aduersus Dei cultores in foro crudelia edicta pendere, calore nimio fidei ignitum, publicè populo inspectante, iniecta manu, librum iniquæ legis detraxisse ac minutatim discerpsisse, Augusto, id est, Diocletiano, & Cæsare Maximiano in eadem vrbe constitutis. Ex quo facto quid consequutum sit, non difficile fuerit diuinare. Ira namque

Conc. Elibert. can. 60.

In breuicu lo cōtra Donatistas col latione 3. diei.

Vidè hoc ipsum in dicto breuiculo Aug. ex epistola Mensurij.

lib 8. ecclesiast hist. cap. 5.

principum, & rabies Gẽtilitatis irritata in supplicia necésque piorum passim ruit. Quanquam ille confractor iniquissimorum edictorum, cum admiratione omnium fortem se & alacrem in cruciatibus perferendis, veréque martyrem Christi præstiterit. At Diuus Cyprianus istiusmodi persequutionum occasiones & incitamenta sic vitauit, docuítque vitanda, vt nec tum cùm vrgentibus negotijs vocaretur, eo concesserit, vbi grauiores motus eius conspectus atque præsentia concitasset. Quod ipse declarat Epistola 8. lib. 1. Accessit hinc (ait) tabescenti animo nostro dolor maior, quod in tanta sollicitudine ac necessitate excurrere ad vos ipse non possum, dum per minas & insidias perfidorum cauemus, ne aduenientibus nobis tumultus illic maior oriatur: & cum paci & tranquillitati Episcopus prouidere in omnibus debeat, ipse materiam seditioni dedisse, & persequutionem denuo exacerbasse videatur. Et rursum Epistola decima lib. 3. Quanquam (inquit) causa compelleret, vt ipse ad vos properare & venire deberem, primò cupiditate & desiderio vestri, quæ res in votis meis summa est: tum deinde vt ea quæ circa Ecclesiæ gubernaculum vtilitas communis exposcit, tractare simul & plurimorum consilio examinata deliniare possimus: tamen potius visum est adhuc interim latebram & quietem tenere, respectu vtilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium nostrum pertinent & salutem: quarum vobis à Tertullo fratre nostro charissimo ratio reddetur, qui pro cætera sua cura, quam impensè diuinis operibus impartit, etiam huius consilij author fuit, vt cautus & moderatus existerem, nec eis locis in quibus toties flagitatus & quæsitus fuissem, me temerè committerem. Epistola quoque libri tertij quinta: Sicut Domini mandata instruunt (inquit) statim turbationis impetu primo, cùm me

cla-

clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inuerecundam præsentiam nostram, seditio quæ cæperat, plus prouocaretur. Absens tamen corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quo minus secundum Domini præcepta fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem. In hac autem prudentissima sui moderatione, beatum Gentium Apostolum imitatus est Cyprianus. Ille enim excitata per Demetrium de via Domini turbatione, confusioneq; Ephesinę ciuitatis, & discipulis suadentibus, & amicis rogantibus, acquieuit ne se daret in theatrum: *Actorum cap. 19.* propterea quod eius præsentia non modo non sedasset populi furorem ipsius prædicatione commotum, sed magis etiam vehementiúsque prouocasset. Sic, ne vetera prætereamus, subtraxit Iacob, consilio prudentissimæ matris, sui conspectum Esau fratri, vt explendi huius in illum odij nulla remaneret occasio. Saulem quoque Dauid quoties fugit? quoties ne sua ille præsentia exacerbaretur, euitauit? Christus certè ipse suorum in se inimicorum studium prouocare noluit, ideóque cum se ad necem quæri sciret, pessimásque Pharisæorum voluntates cognosceret, alio se contulit, tametsi nec præsenti quisquam officere potuisset, nisi voluisset. Ideóque & Athanasius in eiusmodi periculis prudentia Christiana circunspectus, per quattuor mensium spatium in sepulchro paterno delituit, ne quemadmodum historia Tripartita significat, patrandorum malorum causa esse videretur. *Lib. 7. c. 27*

Nephas esse mortem sibi consciscere ad effugienda persequutionum pericula.

CAPVT XV.

VT autem sunt, qui temerè sibi pericula persequutionum accersunt: ita reperti sunt fideles, qui eousque refugerent persequentium manus, vt eorum se crudeli nequitiæ, mortem sibimet afferendo, subtraherent. Hoc verò in alteram est peccare partem, grauitérque delinquere: seposita tamen Dei iussione, de qua pòst dicetur. Si enim proximum etiam Reipub. noxium, authoritate priuata, non licet interficere: multò minus cuiquam liceat extorquere sibimet vitam, authoritate priuata. Ac si illud idcirco vitiosum est, quia sit & iniustum, & abhorrens ab officio charitatis: quantum criminis habeat necesse est id factum, quo & grauissimum nulla potestate legitima proprio corpori nocumentum infertur: & maior illa quam sibi quisque debet, charitas violatur? Non est quisquam sui corporis membrorúmve suorum dominus, vt horum aliquid perdere suo arbitratu & iudicio posit. Vnde & illi Philosophi, qui animas corporibus veluti carceribus incluserunt, nephas tamen esse iudicarunt, iniussu dominantis in nobis Dei, ex hac vita migrare, & vincula rumpere carceris, id enim vetare leges: sed tanquam à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo euocari atque emitti oportere. Interest etiam Reipublicę, cuius singuli membra sumus, quomodo, quáve ratione suarum quicquam partium amittat. Cui proinde fieri constat iniuriam, si nullo publico iudicio, sed priuato, aut alium quisquam è medio sustulerit, aut seipsum. Denique diuinæ legis præceptum est: Non occides; vbi additum non est, proximum tuum, vt diceretur: Non occides proximum tuum. Quod

Cicero in somnio Scipionis, & li 1. Tuculanarum quæstionũ.

etsi

etsi dictum reperiretur, tamen consequens esse quiuis intelligeret, sui quoque cædem prohiberi, si proximi prohibita legeretur: Sicuti cum prohibetur falsum testimonium aduersus proximum, eoipso illius ostenditur crimen, qui aduersus seipsum dixerit. Quippe regulam diligendi proximum, à seipso dilector accepit, quando scriptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Idcirco Augustinus ad Dulcitium scribens tribunum: Quia (inquit) omnis qui sine vlla legitimæ potestatis authoritate hominem occidit, homicida est: quisquis seipsum occidit, non sit homicida, si non homo est. Verùm diuersæ causæ existunt, propter quas hominibus interdum, nec ijs quidem omnino malis aut insulsis, nequaquam alienum ab officio videatur, si mortem sibi ipsi consciscant. Velut ea imprimis quæ mouit Razium, virum inter Iudęos primarium, de quo scriptum est libro Machabæorum secundo: quod domi comprehensus ab impijs Iudaicæ religionis & gentis persequutoribus, gladio se petijt: eligens (ait scriptura) nobiliter mori potius quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniurijs agi. Sibi ergo ille nobiliter facere visus est, quod summi probri loco duceret, ab incircuncisis hominibus, indignis tractari modis. Atque hoc quod ei sic visum fuerat, simpliciter & nihil dissimulans, scripturæ sacræ nobis author expressit. Verùm hoc illius viri iudicium, si ad diuinæ legis regulam reuocetur, deprehendetur non Dei, sed mundi fuisse iudicium: quódque fortis ac generosi animi censebat esse, ad fracti languorem debilitatémque pertinebat. Cùm etiam (vt ait D. Augustinus) multum in Iudaismo profecisset, quæ sibi in comparatione iustitiæ Christianæ, damna & stercora fuisse dicit Apostolus, & propter hoc idem Razius Iudæorum pater appellaretur: quid mirum est si tanquam

epistola 61. *cap. 14.* *epistola 61*

homini elatio superba subrepsit, vt mallet manu propria perimi, quàm post illam in suorum aspectibus celsitudinem, sustinere indignam in hostium manibus seruitutem? Solent in literis Gentilium ista laudari. In his autem Machabæorum libris, quamuis homo fuerit ipse laudatus, factum tamen eius narratum est, non laudatum, & iudicandum potius quàm imitandum, quasi ante oculos constitutum: non sanè nostro iudicio iudicandum, quod nos quoque vt homines habere possemus, sed iudicio doctrinæ sobriæ, quæ in ipsis quoque libris veteribus clara est. Longe quippe fuit iste Razius à verbis illis, vbi legitur: Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. Non ergo fuit iste vir eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. Scriptum est quòd voluerit nobiliter & viriliter mori: sed nunquid ideo sapienter? Nobiliter scilicet, ne libertatem sui generis captiuus amitteret: Viriliter autem, quod tantas vires animi haberet, quibus idoneus esset, vt se ipse perimeret: quod gladio cum implere non posset, de muro se præcipitem dedit, & sic adhuc viuus abruptam cucurrit ad petram, atque ibi exanguis intestina sua produxit, quæ vtraque manu dissipata spargebat in populũ, ac deinde postea defessus occubuit. Magna hæc sunt, nec tamen bona. non enim bonum est omne quod magnum est, quoniam sunt magna etiam mala. Deus dixit: Innocentem & iustum ne occidas. Si ergo iste innocens & iustus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens & iustus fuit, quare interfector innocentis & iusti, id est ipsius Razij, insuper putatur esse laudandus? Hæc de Razio. Inter Gentiles verò Cato reperitur multum semper à constantia & morum grauitate laudatus, qui ne in Cæsaris victoris conspectum veniret, Vtice sibi vitam

[margin: Eccle. ca. 2.]

vitam ademit: quod eius factum frustra Cicero, proposita naturarum diuersitate, commendat: Hæc enim (inquit) differentia naturarum, tantam habet vim, vt nonnunquam sibi mortem aliquis consciscere, sed non alius, debeat. Non enim alia in causa Marcus Cato fuit, alia cæteri, qui se in Aphrica Cæsari tradiderunt. Atqui cæteris forsitan vitio datum fuisset, si se interemissent, propterea quod eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores. Catoni autem cum incredibilem tribuisset natura grauitatem, eámque ipse perpetua constantia roborasset, sempérque in proposito, susceptóque consilio permansisset, moriendum potius, quàm tyranni vultus aspiciendus fuit. Quod naturæ ille concedit graui & constanti, hoc propter superbiæ vitium Christiana doctrina condemnat: quo vitio perdere maluit proprijs manibus vitam, quàm pro eadem illi, cui semper restiterat, supplicare. Iustior interimendi sui causa videatur, peccandi periculum. Cum enim pluris facienda sit iustitia quàm vita corporis, magísque cauendum ne anima quàm ne corpus intereat, non absurdè fortasse fieri videbitur, si iustitiæ violatio & animæ mors grauissima, corporis aduocata morte, caueatur. Ita sane, si vnquam esset ad peccati declinationem, hoc est, ad animi vitandam pestem, sui interfectio necessaria. Sicuti ad conseruationem reliqui corporis, ne qua morbi pernicies totum corripiat, membri vnius aliquando necessaria præcisio est. Nunc verò, cum ad euitandum in huius vitæ periculis peccatum, ordinatissimum orationis remedium non desit, facit perinde qui se propterea interimit, atque si quispiam descendere volens, relictis gradibus ad id præparatis, sese ex alto præcipitem daret. Proinde si quisquam est ea

Officiorum lib. 1.

præ-

præditus animi fortitudine, vt vitam hanc perdere satius esse ducat, quàm Deum offendere, iustius has conferet animi vires ad obeundam fortiter mortem alterius illatam iniuria, ne illi ad peccatum consentiat. Cur enim si vitam & sanguinem profundere pro iustitia paratus es, non tibi illam manibus alienis eripi malis quàm tuis? Nec magna profectò iudicij absurditate carere videtur, qui semetipsum tortorem sibi malit esse, quàm hostē. At reperiuntur quarūdam exempla virginum atque matronarum, quæ tempore persequutionis, rapidis se fluminibus mandauerunt, vt corporis integritatem tutarentur. De quibus scriptum sic est apud Eusebium: Alij cum ad sacrificandum quærerentur, sacrilegam pollutionem vitantes, vitam præcipitio finierunt, minore quidem tolerantiæ fiducia, sed conseruandæ fidei maiore cautela. In quibus admirabilis quædam & veneranda fœmina, pulchritudine pariter & pudicitia formosa, genere nobilis & copiosa facultatibus: cui erant duæ filiæ virgines, honestæ satis, & ad maternæ pudicitiæ regulam nutritæ, specie simul & moribus æmula sibi probitate certantes, quas religiosa mater secundùm præceptum diuinum in timore Domini æducauerat. Sed pro his quæ supra diximus, vel naturæ, vel institutionum bonis, prauorum hominum multa erga virgines, earumq; matrem contentio exagitabatur, & summo studio, summaq; vi perquirebantur. Cúmque declinandi turbinis gratia sui absentiam procurassent, agitur omni intentione, vt earum præsentia fieret: missi in hoc ipsum milites, repertas eas venire Antiochiam cogunt. Sed cum perurgentibus militibus, vehiculo impositæ iter agerent, talibus religiosa & pudica mater ad filias vtitur verbis: Scitis dulcissimę mihi filiæ, quomodo vos in disciplina Dei æducauerim. Scitis quod à paruulis Deus vobis pater, Deus nutritor, Deus institutor extiterit, & quòd

lib. 8. c. 12.

quòd pudicitiæ & caſtitatis bonum ita mecum pariter dilexiſtis, vt nec oculus quidem veſter vnquam, (ſicut vobis conſcia ſum) laſciuiore fuerit maculatus aſpectu. Quid igitur nunc agimus? Videtis quod iſta omnis vis aut à Deo nos ſtudet aut à pudicitia ſeparare. Proſtituentur ergo publicis lupanaribus membra, quæ aër pene ipſe publicus habuit incognita? Ne quæſo filiæ, quia nec tam parua nobis in Deo fides eſt, vt mortem pertimeſcamus: nec tam deſpecta pudicitia, vt viuere etiam cum turpitudine cupiamus. Quin potius, ſi placet, quod in omnibus tenetis, etiam in hoc ſequimini matris exemplnm. Præueniamus impuras carnificum manus, & impudicorum præripiamus incurſus, mundumq́ hunc, qui nos ad impuram & impudicam compellet ac pertrahet vitam, pura & pudica morte damnemus. Cumq́ talibus adhortationibus filias ad ſimile propoſitum videret accenſas, ad fluuium quendam in itinere poſitum venerunt, vbi cum ſe humanæ neceſsitatis cauſa deſcendiſſe ſimulaſſent, & paululum cuſtodes cogente naturali reuerentia ſeceſsiſſent, adductis diligentius hinc inde veſtibus, minacis ſe fluuij rapidis iniecerunt fluentis. Sed & aliæ duæ virgines per omnia inſignes ſorores, genere nobiles, vita mirabiles, primæ adhuc ætatis ſpecie pulchræ ſatis, ſed anima pulchriores, ornatæ moribus magis quàm monilibus, ſtudijs apprimè probabiles, non ferentes violari publicis edictis ac legibus caſtitatem, marinis ſe fluctibus demerſere. Narrat idem *lib.8.c.17.*
Author de Sophronia, hunc in modum: Cùm enim de huius fœminæ pulchritudine cognouiſſet Maxentius (vt ei mos erat) ſtuprorum miniſtris deduci ad ſe fœminam iubet. Illa rem ad maritum detulit. Qui cum comperiſſet, multa ſecũ voluens, ad vltimum altius ingemiſcẽs: Et quid (inquit) faciemus? quibus aut hæc toleranda ſunt, aut anima ponenda. Tum illa vt maritum vidit metu mortis perter-

perterritum, prodidiſſe pudicitiam ſuam: Paululum (ait his qui miſsi fuerant) expectate, donec compoſita (vt decet) & adornata procedam. Dehinc ingreſſa cubiculum, cum prius defixis genibus oraſſet, tanquam pudicitiam ſuam immolatura Deo, pectus ac viſcera correpto mucrone tranſuerberat: Extremos huiuſmodi nuntios ad tyrannum per adſiſtentes famulas mittens, Tales (ait) magis placeant Chriſtianæ fœminæ tyranno. Hæc igitur apud Euſebium ſcripta reperiuntur. Verùm de iſtiuſmodi factis quid Auguſtinus ſenſerit, audiendum eſt potius, ne temerè nos de illis quicquam diuinaſſe videamur. Cum igitur is oſtenderet inferre ſibi necem licere nemini, argumenta nonnulla, ad quæ reſpondeat, ſibi ipſe proponit. Sed quædam (inquiunt) ſanctæ fœminæ tempore perſequutionis, vt inſectatores ſuæ pudicitiæ deuitarent, in rapturum atque necaturum ſe flumen proiecerunt: eóque modo defunctæ ſunt, earúmque martyria in Catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temerè audeo iudicare. Vtrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, vt earum memoriam ſic honoret, diuina perſuaſerit authoritas, neſcio, & fieri poteſt, vt ita ſit. Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed diuinitus iuſſæ: nec errantes, ſed obedientes: ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere? Cùm autem Deus iubet, ſéque iubere ſine vllis ambagibus intimat, quis obedientiá in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet? Sed non ideo ſine ſcelere facit, quiſquis Deo immolare filium decreuerit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. Nam & miles cum obediens poteſtati, ſub qua legitimè conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ciuitátis ſuæ lege reus eſt homicidij: imo niſi fecerit, reus eſt imperij deſerti atque contempti.

Lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 26. & 27.

Quod

Quod si sua sponte atque authoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque vnde punitur si fecerit iniussus, inde punietur nisi fecerit iussus. Quod si ita est iubente imperatore, quanto magis iubente creatore? Qui ergo audit, non licere se occidere, faciat si iussit, cuius non licet iussa contemnere. Tantummodo videat, vtrum diuina iussio nullo nutet incerto. Nos per aurem conscientiam conuenimus, occultorum nobis iudicium non vsurpamus. Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari: neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit. Restat vna causa de qua dicere cæperam, qua vtile putatur, vt se quisquam occidat, sed ne in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore sæuiente. Quam causam si voluerimus admittere, eousque progressa perueniet, vt hortandi sint homines, tunc se potius interimere, cùm lauachro sanctæ regenerationis abluti, vniuersorum remissionem acceperint peccatorum. Tunc enim tempus est cauendi omnia futura peccata, cum omnia sunt deleta præterita. Quod si morte spontanea rectè fit, cur non tunc potissimum fit? Cur baptizatus sibi quisque parcit? Cur liberatum caput tot rursus vitæ huius periculis inserit, cum sit facillimæ potestatis illata sibi nece omnia

deui-

deuitare, ſcriptúmque ſit: Qui amat periculum, incidit in illud? Cur ergo amantur tot & tanta pericula, vel certe etiam ſi non amantur, ſuſcipiuntur? Cur manet in hac vita, cui abſcedere licitum eſt? An verò tam inſulſa peruerſitas cor euertit, & à cõſideratione veritatis auertit: vt ſi ſe quiſquam interimere debeat, ne vnius captiuantis dominatu corruat in peccatum, viuendum ſibi exiſtimet, vt ipſum perferat mundum per omnes horas tentationibus plenum, & talibus qualis ſub vno Domino formidatur, & innumerabilibus cæteris, ſine quibus hæc vita non ducitur? Quid igitur cauſæ eſt, cur in eis exhortationibus tempora conſumemus, quibus baptizatos alloquendo ſtudeamus accendere, ſiue ad virginalem integritatem, ſiue ad continentiam vidualem, ſiue ad coniugalem fidem, cum habeamus meliora, & ab omnibus peccandi periculis remota compendia: vt quibuſcunque poſt remiſsionem receptam peccatorum, ad arripiendam mortem, ſibíque ingerendam perſuadere potuerimus, eos ad Dominum ſaniores purioréſque mittamus? Porrò ſi quis hoc aggrediendum atque perſuadendum putat, non dico deſipit, ſed inſanit. Qua tandem fronte homini dicit: Interfice te, ne paruis tuis peccatis adijcias grauius, dum viuis ſub domino Barbaris moribus impudico, qui non poteſt niſi ſceleratiſsimè dicere: Interfice te, peccatis tuis omnibus abſolutis, ne rurſus talia vel etiam peiora committas, dum viuis in mundo tot impuris voluptatibus illecebroſo, tot nephandis crudelitatibus furioſo, tot erroribus & terroribus inimico? Hoc quia nephas eſt dicere, nephas eſt profectò ſe occidere. Nam ſi hoc faciẽdi vlla cauſa iuſta eſſe poſſet, procuIdubio iuſtior quàm iſta non eſſet. Quia verò nec iſta eſt, ergo nulla eſt. Non itaque omnibus vobis, ô fideles Chriſti, ſit tædio vita veſtra, ſi ludibrio fuit hoſtibus caſtitas veſtra. Habetis magnam

gnam veramq́; consolationem, si fidam conscientiam retinetis, non vos consensisse peccatis eorum qui in vos peccare permissi sunt. Hactenus Augustinus.

Qui fiat vt oborta persequutione tam multi cadant.

CAPVT XVI.

QVoniam autem oborta persequutione magnus & ingens esse solet cadentium numerus, quid in causa sit, quidve Christiani hominis animum firmare in persequutione possit, dicendum est. Cadunt igitur sępe multi vnius persequutionis terrore prostrati, propterea quod nec pacis tempore stabant satis, à domesticis videlicet hostibus, id est, vitijs superati, atque in ipsa tranquillitate rerum molliter & deiectè viuentes. Nempe cedunt, cum nemo hostiliter persequatur: cúmque nemo fuget, funduntur atque dissipātur, per varia vitiorum diuerticula oberrantes. Non euadunt igitur in bello victores, qui nec media in pace salui consistere potuerunt. Et quia tempore pacis, nullum fidei robur collegerant, nulla ad repugnandum arma parauerant, de improuiso occupati sternuntur. Faciendum enim fuit quod eiusmodi carmine commonuit beatus Prosper Regiensis Episcopus:

Epigrammate 91.

Huc refert Aug. illud Sapientis de formica preceptū: Vade ad formicā ô piger, quæ in æstate colligit cibum sibi. ca. 24. lib. contra Adimantum.

Dum non perturbant animum discrimina mūdi,
Dumq́; diem pacis prælia nulla mouent:
Exercere fidem diuinis conuenit armis,
Consilioq́; omnes anticipare minas.
Tranquillam, & curis vacuā sapientia mentem
Imbuet, & placidi pectoris hospes erit.
Nam quod non fuerit conceptum corde quieto,
Acquiri in sæuo turbine non poterit.

Itaque si acciderit (ait Chrysostomus) quod Deus auertat, neque permittat vnquam euenire, bellum

Homil. 34. in ca. Matthæi 10

Ecclesiæ ac persequutio, cogita quantus oritur risus, quàm magna erunt nostra opprobria. Meritò id quidem. nam cum nemo in arena seipsum exerceat, quomodo aliquis in certamine insignis erit atque cõspicuus? Quis vnquam athleta non ab ineunte adolescentia in palæstra corroboratus, potuit in Olympicis excelso ac magno animo aduersarium aggredi? An non oportet quotidie luctari ac currere? Nónne videtis eos quos quinque certaminum athletas appellant, cum nullum fortè luctatorem repererint, ad saccum arena plenum vires suas excitare? Iuniores verò his cum iunioribus, quasi cum aduersarijs, pugnam & exercitationem inire? Hos imitari stude, ac ipse tecum altioris philosophiæ instituta meditare, ac reipsa plerumque confirma. Sunt enim multi qui ad iræ nos rabiem incitant; multi qui concupiscentiæ flammam incendunt. Insurge igitur contra pasiones, vincas animi labores, vt corporis quoque labores posis perferre. Nam & beatus Iob ille, nisi antea præmeditatus fuisset, non ita in certamine refulsisset. Nisi certè crebro cogitasset, qua ratione mœrorem omnem superaret, dixisset omnino aliquid mœstum cum repente obisse filios rescisset. Nunc verò ita exercitatus præmeditatúsque fuerat, vt ad omnia ingenti animo perstiterit, ad totius substantiæ, & tam multarum rerum iacturam, ad filiorum amarissimum obitum, ad vxoris affectum, ad acerba corporis vlcera, ad iniusta amicorum opprobria, ad ancillarum contemptum atque seruorum. Quod si eius mirabilia gesta cupis inspicere, ipsum audi, ab eo ipso disce, qualiter vniuersam spernebat pecuniam. *Si lætatus sum* (inquit) *multis mihi affluentibus vndique diuitijs, si recondidi aurum sicut puluerem, si spem in lapidibus pretiosis habui*. Hæc ille. Propterea neque cum erepta quidem omnia subito essent, turbatus est, quippe qui præsenti-

sentibus non delectabatur. Cum igitur tanta facilitate (ait alibi idem Chrysostomus) carnē exuere debeamus, quanta vestimentum, id præstiterimus, si non fuerimus pecuniæ dediti, si non domibus, si non affectioni, si ab omnibus fuerimus separati: proptereaq; multi, vt carnem pro Christi confessione deponant, adduci non possunt, sed vel negant impiè, vel timidè dissimulant, vel ipsis adiuncti persequutoribus, eorum etiam promouent conatus, quod vitijs antè corrupti, nullum sibi pro iustitia certamen ineundum putent. Igitur sicut in aream, spirante vento violentius, paleæ quidem mox auolant & mouentur loco leuissimè, grana verò suo pondere eodem in loco consistunt, remanéntque in area: Ita in Ecclesia, quæ dominica est quædam area, cum eam ille cœperit ventilare persequutionibus, continuò carnalium hominum tanquam palearum conspicitur leuitas. Nam tranquilla quidem Ecclesia, bonis adherescunt vt granis: in eiusdem professione doctrinæ, & eorundem sacramētorum communione persistunt. Cæterum simulatq; cœperit tanquam vento agitante turbari, raptantur mali huc & illuc persequutionis turbine: quiduis annuūt, cunctaq; & probant, & confitentur pro victorum libidine, salua modo esse posint ea quæ carnali amore cōcupiscunt. Vnde fit etiam vt Christi ventilabro iactati, qui prius disiuncti fuerant moribus & affectibus, separētur & locis, in æternum quandoque firmissima & incōmutabili separatione segregandi. Quanquam & ij sunt qui idcirco se ad omnem victoriæ partem celeriter accommodent, quod nullam animo veraciter teneāt religionem: similes Ecebolo cuidam Constantinopolitano Sophistæ, qui mores imperatorū sequens, sub Constantio quidem (ait Socrates in Tripartita) feruentissimum se finxit Christianum: Sub Iuliano Paganus celeriter effectus est; & rursus post Iulianum

Homil. 5. in Epist. ad Hebr.

Lib. 6. tripart. c. 8.

volebat esse Christi onus: prosternens etenim se-metipsum ante ianuas Ecclesiæ pronum, magna voce clamabat: Conculcate me sal infatuatum. Pertinet huc, quod D. Augustinus scribit in eo sermone qui habitus est de duabus piscationibus & centum quinquaginta piscibus: Aliquando (inquit) venti qui tollunt paleam de area, iterum flant à sepe vbi hæserat palea, & eam reuocant in aream. Sicut verbi gratia (inquit) nescio quis homo in Catholica constitutus, passus est aliquam tentationem tribulationis, videt sibi carnaliter subueniri posse in negotio suo apud Donatistas: dictum est illi, non tibi subuenietur, nisi hic communicaueris, flauit ventus, proiecit in spinas. Si contingat illi negotium sæculare habere rursus, quod non possit finiri, nisi in Ecclesia Catholica, non attẽdens vbi sit, sed vbi negotia sua commodius explicet, quasi flante vento ab altera parte sepis reuocatur ad aream Domini. Est id quidem verum, & nostris quoque probatum temporibus, quod apud D. Cyprianum reperitur in libro de singularitate clericorum, interdum & mœchos, & sanguinarios, & ebriosos, & omnium scelerum reos, reperta pugnę occasione, conuersos meruisse ad martyrij palmã peruenire: Ideo enim martyriũ (inquit) appellatur tã corona quàm baptisma, quia baptizat pariter & coronat. Sed verũ est etiã quod apud eundem legitur in libro de laude martyrij, ad huius nominis titulum fide nobiles venisse plerosque, vt deuotionis obsequium mors honestaret. Martyres igitur plerunque fuerunt, quorum extiterat vita digna martyrio: & in confessione fortes plerunque & insuperati manserunt, qui pacis tempore, quæ vsui in bello forent, parauerant: hostemq; aperto marte terrentem atque sæuientem debellare potuerunt, qui eius occultas frequenter insidias & in pace prouidi frustrauerant. Si quid præter hanc rationem mirabiliter inter-

dum

dum euenerit, non ad perniciosæ securitatis ac præsumptionis defensionem trahendum est, sed commendationem gratiæ Dei, quæ cùm nullis præcedentibus meritis bonis, sed malis multis detur, euidentissimè exemplis istiusmodi demonstratur.

Cuiusmodi cogitationibus & armis instructum ac munitum esse debeat Christiani pectus, vt perstare inuictum in persequutione possit.

CAPVT XVII.

MAgnum verò præstat adiumentum ad quæcunque persequutionis tela repellenda, si nos imprimis peregrinos super terram esse cogitemus. Nam si nostra hæc ciuitas esset ac patria, in qua nobis fœlicitatem quærere & constituere deberemus, intollerandum videri posset, exagitari persequutionis turbinibus: vbi enim quies erit atque securitas, si in patria nulla erit? At nunc, cum velut per aliena, præcipiti cursu vitæ huius, iter agamus, cælestem patriam repetentes, haud sanè mirum, si inter extraneos, facilè inimicos inueniamus, si nostrum iter latrunculi quidam obsideant, ac cœptam fœliciter profectionem interrumpant. Hac armati cogitatione, non franguntur aduersis, non debilitantur desperatione quietis: quia quod inter exteros & alienos non obtinent, sua in patria atque inter suos ciues expectãt. Exultãt imo (inquit Cyprianus) semper in Domino, & lætantur, & gaudẽt in Deo suo, & mala atque aduersa mundi fortiter tolerant, dum bona & prospera futura prospectant. Exilia non timent, quibus est totus hic mundus exilium, & habitatio ac ciuitas perditorum. Adhuc ne igitur nocere se putat inimicus, si de natali solo fidelem expulerit? O stulta (inquit August.) infidelitas

Tractatu contra Demetrianũ.

In sermo. de sancto Cypriano.

persequentis, si quæris exiliū quo Christianus cogatur exire. De patria sua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Christo nusquā exulem, in carne vbique peregrinum? Nihil interest, vbi sit in sæculo, qui extra sæculum est cordis voto. Confert deinde plurimum ineuitabilis mortis variorumq́; morborum, quibus ad mortem trahimur, frequens consideratio, præsertim cùm semel morituro, cum gloria etiam moriendi tribuatur occasio: nec minora interdum sint tormēta morborum aut medicamentorum quàm cruciatus carnificum. Reperimus sane Romanum, fortissimum Christi Dei assertorem, eiusmodi se contēplatione confirmasse. Sic enim loquitur apud Prudentium:

Nam membra paruipenda quomodo cadant,
Casura certè lege natura sua.
Instat ruina, quod resoluendum est, ruat.
Nec distat ignis & fidicula sauiant,
An corpus agrum languor asper torqueat:
Quum sape morbos maior armet sauitia,
Non vngularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanto dira pulsat pleuresis.
Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle venas exedit:
Vel summam pellis ignis obductus coquit,
Papulasq́; feruor astuosus excitat.
Credas cremari stridulis cauteribus.
Miserum putatis quod retortis pendeo
Extentus vlnis, quod reuellantur pedes,
Compago neruis quod sonat crepantibus?
Sic eiulantes ossa clamant diuidi,
Nodosa torquet quos podagra & arthesis,
Horretis omnes hasce carnificum manus,
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena quando sauit Hippocratica?

Viuum

Viuum secatur viscus, & recens cruor
Scalpella tegit dum putredo abraditur:
Putate ferrum triste chirurgos meis
Inferre costis, quod secat salubriter.

Tertiò, permagno adiumento est ad mortem incunctanter subeundam, ipsius causæ contemplatio. Quid enim dubitandum est pro Catholica veritate aut iustitia sanguinem fundere? Pertulêre quidam sancti graues cruciatus, ne amicorum suorum secreta nudarent: quanto maiorem adhibendam putarunt animi constantiam, vt suæ fidei sacramenta munirent? Adduci non potuit B. Cyprianus comminatione tormenti, vt presbyteros, qui se abdiderant metu persequutionis, proderet, & dubitasset mortẽ suscipere, ne religionem impio sacrificio violaret? Ideóque cum dixisset ei Procõsul: Vitæ tuæ doleo, & vellẽ consulere tibi. Sanctus Cyprianus respondit: Consultum mihi melius esse non quæro, quàm vt Deum meũ adorans, ad ipsum tota mentis auiditate festinẽ: quoniam non sunt condignę passiones huius tẽporis, ad superuenturam gloriã, quæ reuelabitur in nobis. In re (inquit) tam iusta nulla est consultatio Non adhuc consulo, quia nõ adhuc dubito. Abstulit enim mihi dubitationem ipsa iustitia. Iustus autem vt securus moriatur in carne, certus viuit in fide. Sic enim B. August. Cypriani responsum accepit. Clara igitur atque indubitata causa est, pro iustitia & religione moriendi: eáque prudens & ordinata, ideóq; vera & Christiana fortitudo est, vitæ corporis, iustitiam ac pietatem, Christúmque ipsum anteponere, & illam malle quàm hunc perdere. Idcirco illos quadraginta milites sic facit Basilius se inuicem cohortantes: Quot nostri commilitones ceciderunt, fidem mortali regi seruantes? nos pro fide in Deum verum seruanda, hanc vitam non proijciemus? Quot item malefici

Victor Vticẽsis lib. 3. Hist. Vandalica.

Sermon. de sancto Cypriano.

Homil. 17.

homines mortem tulerunt in ſcelere deprehenſi, nos verò pro iuſtitia mortem non ſubeamus? Nec igitur deliberare licebit, ſi id fortè aut iuſſerit aut permiſerit iudex, vtrum ſacrificãdum aut negandum potius, an verò fortiter pro pietate moriendum putemus. Ex quadam etenim infidelitate proficiſcitur ea deliberatio, cum fides non dubitet potius eſſe mortem oppetendam, quàm negatione vel ſacrificio violandam pietatem: aut ſi nulla eſt ignoratio non ſatis inſtructæ mentis, ipſa profectò ad lapſum volũtas nimium pendula conuincitur, quæ nec puncto temporis eſſe debet à peccato non auerſa. Et tamen ſcriptum eſt apud Euſebium de Marino quodã milite, cum ſe Chriſtianum eſſe fuiſſet confeſſus, tres ei horas ad deliberandum à iudice decretas eſſe, vt eligeret mallétne immolare dijs & imperatori parere, an Chriſtianus interimi. Cúmque à tribunalibus fuiſſet egreſſus, Theotecnus Epiſcopus loci, apprehenſa manu eius, perducit eum ad Eccleſiam, ibíque multis verbis in fide confirmans, ad vltimum in interiora perducit altaris, gladiúmque ſuum, quo præcinctus erat, oſtendens ei, & rurſum offerens euangelium, quid è duobus mallet, interrogat: Marinus verò promptiſsima fide cum manum ad euangelium tetendiſſet; Obtine (inquit Theotecnus) quod elegiſti ô fili, & contemnens pręſentem vitam, æternam ſperato, confidens perge, & ſuſcipe coronam quam tibi Dominus præparauit. Baſilium certè, cum præfectus abire iuſsiſſet, vt quid facere deberet cogitaret, ſentẽtiámque ſuam altero die depromeret: ille non tanquam deliberaturus diſceſsit, ſed moriendi etiam conſtantiam pro fide, alacritatémque pręſe ferens, dixit: Etiam cras ipſe regrediar, dummodo tu ſententiam non permutes, ſed vtere minis tuis. At verò pecuniam vel ſanitati ipſi aut integritati corporis præponere, cruciarique malle, quàm illa perdatur,

lib. 7. hiſt. trip. ca. 12.

hiſt. trip. lib. 7. c. 36.

præposterum est. Ideoq; beatus Paulinus Episcopus Nolensis, quādo & ipsam Nolam Barbari vastauerunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo precabatur: Domine, non excrucier propter aurum & argentum, vbi enim sint omnia mea tu scis; hoc ab eo postea se nouisse D. August. testatur libro primo de ciuitate Dei. Et quidam tamē etiam Christiani tormentis interdum excruciati sunt, vt bona sua hostibus proderent: Qui si torqueri (inquit August.) quàm māmona iniquitatis prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autē fuerant qui tanta patiebantur pro auro, quanta sustinenda essent pro Christo, vt eum potius diligere discerent, qui pro se passos æterna fœlicitate ditaret, non aurum & argentum, pro quo pati miserrimum fuit, seu mentiendo occultaretur, seu verum dicendo proderetur. Nāque inter tormenta nemo Christum confitendo amisit, nemo aurum nisi negando seruauit. Sed quidam etiam non habentes quod proderent, dum habere credūtur, torti sunt? Et hi fortè habere cupiebant, nec sancta voluntate pauperes erant, quibus demonstrandum fuit, nec facultates, sed ipsas cupiditates talibus dignas esse cruciatibus. Si verò melioris vitæ proposito reconditum aurum argentumq; non habebant, nescio quidē vtrum cuiquā talium acciderit, vt dum habere creditur, torqueretur. Veruntamen etiamsi accidit, profecto qui inter illa tormēta paupertatem sanctam confitebatur, Christum cōfitebatur. Quapropter etsi nō meruit ab hostibus cædi, non potuit tamen sanctæ paupertatis confessor sine cælesti mercede torqueri. Hæc August. Nec illud prætereundū est, quàm erubescendum erit pro iustitia pati noluisse, quæ pro suis iniquitatibus fortiter sæpe multi pertulerunt. Contēpserunt latrones ipsi cruciatus, eousq; vt mutuis inuicē torquerent officijs, eoq; modo se perferendis supplicijs assuefacerent, ne his victi aliquādo, quæ designassent

cap. 10.

sent scelera faterentur. Quid memorem Gentiles? qui acerba multa aut æquo animo exceperunt, aut vltro etiam appetiuerunt famæ & gloriæ causa? Longum est (inquit Tertullianus) si enumerem singulos qui se gladio cōfecerint animo suo ducti. De fœminis ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa est: Cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, vt gloriam castitati suæ pareret. Mutius manum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius fama haberet. Minus fecerūt philosophi? Heraclitus, qui se bubalo stercore oblitum exussit? Itē Empedocles, qui in ignes Æthnæ montis dissilijt? Et Peregrinus, qui non olim se rogo emisit? Cum fœminæ quoque contempserint ignes: Dido, cum post virum dilectissimum nubere cogeretur. Item Asdrubalis vxor, quæ iam ardente Carthagine, cum maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filijs suis in incēdium patriæ deuolauit. Regulus dux Romanorum, captus à Carthaginensibus, cum se vnum pro multis captiuis Carthaginensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi: & in arcæ genus stipatus, vndique extrinsecus clauis transfixus, tot cruces sensit. Bestias fœmina lubens appetijt, & vtique horridiores aspides serpentes, tauro vel vrso, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perueniret. Addam & illud ex Plinio Cæcilio, eius qui mundi scripsit historiam nepote. Cum matrona quæpiam, Arria (ni fallor) nomine, cuius maritus fœdo atque insanabili vlcere cruciabatur, ex medicis cognouisset, nullam esse vitæ spem reliquam: ad mariti lectulum astans, gladium adegit pectori: atque in medio vulnere ad illum conuersa: Non sentio, (inquit) non dolet, iuuat etiam mori tecum. Sed mortis metus non tantus est (inquis) quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici scilicet meretrix Atheniensis, quæ conscia coniurationis, cum propterea

Libello ad martyres.

torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam suam comestam, in faciem tyranni expuit. Nam quod hodie (inquit Tertullianus) apud Lacædemonas solemnitas maxima est Diamastygogis, id est, flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus & propinquis, & vti perseuerarent adhortantibus. Suo quoque tempore Cicero, quod habuit exploratum, id mandandum literis existimauit: Spartæ pueri (inquit) ad aram sic verberibus accipiuntur, vt multus è visceribus sanguis exeat, nonnunquam (vt cum ibi adessem audiebam) vsque ad necem: quorum non modo nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem. Ad feras quoque milites affectatione descendunt, & de morsibus & de cicatricibus formosiores sibi videntur. Iam & ad ignes quidam se authorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent: alij inter venatorum taureas, scapulis patientissimis inambulauerunt. Hæc autem non sine causa Dominus in sæculum admisit, sed ad nos & nunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem. Iam si humanam conditionem spectaueris, quàm multa vel inuitis euenire consueuerunt? Quoties enim incendia viuos cremauerunt? quoties feræ & in syluis suis, & in medijs ciuitatibus elapsæ caueis, homines deuorauerunt? quot à latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce extincti sunt torti prius, immo & omni contumelia affecti? Nemo non etiam hominis causa pati potest, quod in causa Dei pati dubitat. Et sine fructu illic sæpe passio est ac sterilis afflictio: hic cruciatibus enecatum, refrigeria & gaudia æterna suscipiunt: *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam,*

Lib. 2. Tuscula.

quo-

quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Illic dignitas nulla passionis, hîc ex ipsa causa patiendi ingens honos accedit. Idcirco enim Apostoli gaudentes recedebant à conspectu concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Si exprobramini (ait Petrus) in nomine Christi, beati eritis, quoniã quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Et rursum: Hęc est (inquit) gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè. Quæ enim est gratia, si peccantes & colaphisati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deũ. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Quoniam igitur & exempla vim habent ad permouendum maximam, ipsum ante omnia Christi præclarissimum exemplum ante oculos cordis assiduè ponendum est. In hac enim militia primus ambulauit Dominus, humilitatis & tolerantiæ, & passionis magister, vt quod fieri docuit, prior faceret: & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur. Huius (inquit Petrus) passionibus communicantes gaudete, vt & in reuelatione glorię eius gaudeatis exultãtes. Capitis verò passionem tam multa membrorum exempla & præcesserunt & sequuta sunt, vt verè dicere possimus, nihil esse nouum pro iustitia pati, sicut nihil mirum esse docuimus. Exemplum (ait Iacobus) accipite fratres mei exitus mali laboris & patientiæ prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Imitemur ergo (inquit Cyprianus) Abel iustum, qui initiauit martyria, dum propter iustitiam primus occiditur. Imitemur Abraham Dei amicum,

1. Petri 4. *1. Petri 2.* *1. Petri 4.* *Iacobi 5.* *lib. 4. epistolarum epistola 6.*

amicum, qui non est cunctatus filium victimam suis offerre manibus, dum Deo fide deuotionis obsequitur. Imitemur tres pueros, Ananiam, Azariam & Misahelem, qui nec ætate territi, nec captiuitate fracti, Iudæa deuicta & Hierosolymis captis, in ipso regno suo regem fidei virtute vicerunt. Qui adorare statuam quam Nabuchodonosor rex fecerat iussi, & minis, rogis, & flammis fortiores extiterunt, proclamantes, & fidem suam per hæc verba testantes: Nabuchodonosor Rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos seruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, Rex, liberabit nos (etsi non) notum sit tibi, quia dijs tuis nō deseruimus, & imaginem auream quā statuisti non adorabimus. Credebant illi secundum fidem se posse euadere, sed addiderunt: (Et si non) vt sciret Rex illos propter Deum, quem colebant, & mori posse. Hoc est enim robur virtutis & fidei, credere & scire quod Deus à morte præsente liberare possit, & tamen mortem non timere, nec cedere vt probari potius fides possit. Erupit per os eorum Spiritus sancti incorruptus & inuictus vigor, vt appareat vera esse quę in Euangelio suo Dominus edixit, dicens: Cum autem vos apprehenderint, nolite cogitare quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Sic & Daniel, cum compelleretur adorare idolum Bel, quem tunc & Rex & populus colebant, in asserendo Dei sui honorem, plena fidei libertate prorupit, dicens: Nihil colo ego nisi Dominum Deum meum, qui condidit cœlum & terram. Quid in Machabæis beatorum martyrum grauia tormenta, & multiformes septem fratrum pœnæ, & confortans liberos suos mater in pœnis, & moriens ipsa quoque cum liberis? Nónne magnæ virtutis & fidei documenta testantur, & nos ad martyrij triumphum suis passionibus adhortātur?

Matth. 10.

Dan. 14.

Quid

Quid Prophetæ, quos ad præscientiam futurorum spiritus animauit? quid Apostoli, quos Dominus elegit? Nónne cum iusti occiduntur propter iustitiam, mori nos quoque docuerunt? Christi natiuitas à martyrijs infantum statim cœpit, vt ob nomen eius à bimatu & infra qui fuerant necarētur. Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam. Ostensum est neminem à periculo persequutionis immunē, quando & tales martyria fecerunt. Hos verò tam ingens postea sequutus est martyrum numerus, exuberante postmodum virtutis & fidei gratia, vt numerari non possent, ne deesse nobis exempla quereremur. Quorum pia recordatio & virtutem auget ad imitandum, & rebus afflictis mirificè consolatur, dum plerunque pios persequutionem passos esse reperimus. Quid igitur animum despondeas, si aduersum te mundus insurgit? Socius tum maxime efficeris Apostolorum, imo Christi ipsius Apostolorum domini. Socius autem passionum effectus, particeps efficeris & gloriæ. Sed cum disertissimus sit hac in parte D. Chrysostomus, præclaréque admodum vtilitatem exempli prosequatur, existimaui fore commodum, si fusius eum hoc in loco disserentem audiremus.

Demonstratur Chrysostomi verbis quàm vtile sit superioris temporis persequutionum meminisse, & adduntur alia quædam in persequutione meditanda.

CAPVT XVIII.

Homil. 9. In dictū Apostoli: Habentes autem eundē spiritum fidei, 2. Corinth. c. 4.

TRactans igitur ille verba Apostoli ex posteriore ad Corinthios, quibus ait: Habentes eundem spiritum fidei; Magnum bellum (inquit) circumsteterat fideles dum hæc dicebantur: bellum (inquam) graue & absque vllis inducijs.

Nam

Nam & ciuitates integræ, & populi vndique in eos insurrexerant, & tyranni omnes insidiabantur, & reges contra eos armabantur: & arma mouebantur, & gladij acuebantur, & exercitus adornabantur, & omnia genera pœnarum ac suppliciorum excogitabantur. Inde facultatum rapinæ & confiscationes, & carceres ac mortes quotidianæ, tormenta, vincula, ignis, ferrum, bestiæ, patibula, rotæ, baratra, præcipitia, & quicquid in perniciem fidelium excogitari poterat. Ac ne intra hos quidem fines bellum se continuit. Non solùm enim ab inimicis excitabatur, sed ipsa etiam natura contra seipsam irritabatur. Etenim liberis insidiabantur patres, & filiæ parentes exosos habebant, & amici amicos auersabantur, & in cognationes ac familias bellum hoc latenter se insinuabat, magnúsque tumultus erat per vniuersum orbem habitabilem. Et sicut nauis vndis insurgentibus, nubibus concurrentibus, elisis tonitribus, caligine vndique nautas cingente, mari furente, beluis sæuientibus, piratis oppugnantibus, ipsis vectoribus inter sese dissidentibus, haud quaquaquam euadere potest, nisi cœlestis dextera magna illa ac potens, discusso periculo & sedata tempestate, in tranquillitatem reducat nauigantes: ita etiam tunc inter initia prædicationis accidit. Non solum enim externa tempestate pulsabantur, sed intus etiam plerunque seditione laborabât. Quis hoc dicit? Paulus ipse sic scribens: Foris pugnæ, intus timores. Et quòd verum sit, quódque doctores pariter ac discipuli innumeris septi fuerint malis, & per omnes ex æquo bellum hoc fuerit grassatum, eundem Paulum iterum testem adduco: Vestræ autem partes, meminisse omniũ horum quæ dico, vt cognitis periculis ac tentationibus, omnibúsque aduersitatibus, quas eius temporis fideles perferebant, tanto maiores gratias agatis Deo, qui omnibus illis calamitatibus finem impo-

imposuit, & tranquillissimam pacem nobis confecit, vt nemo vel socordiæ pœnam effugiat, vel ob vitā rectè actam extollatur. Neque enim perinde, si vndequaq; oppugnatus, & innumeris aduersitatibus obrutus, generosè subsistas, ac si in portu nūc sedens, & in summa securitate eundem animum prę te feras. Illorum enim conditio nihilo melior erat, quàm eorum qui turbato mari iactabantur: nos verò securius agimus, quàm qui portum deuecti incolumes, iam per otium se reficiunt. Quapropter neque propter bonam viuendi rationem extollamur, neque tentationibus cedamus, neque securitate Ecclesiæ nostram ad segniciem abutamur: quin potius sobrij simus ac vigilemus. Nam nobis quoque est lucta aduersus cunctas concupiscentias: non insurgunt contra nos homines, sed insurgunt carnales voluptates: non impugnant nos reges atque tyranni, sed impugnat ira, vanæ gloriæ cupido, inuidia, æmulatio, atque id genus alij affectus innumeri. Quādo igitur illas tentationes euasimus, ne vel ab his vincamur operam demus. Ideo enim vobis in memoriam reuocaui illius temporis calamitates, vt nunc & qui affligitur, idoneam inde consequatur consolationem: & qui in securitate agit, in vicem illarū conflictationum acre contra absurdas cogitationes certamen suscipiat. Propter nostram enim admonitionem, & consolationem, ac tolerantiam illa omnia sunt scripta. Quæ quidem necesse habemus nunc apud vos eloqui, & docere quantis aduersitatibus eius temporis fideles obsessi fuerint, non doctores solum, verùm etiam discipuli. Audi igitur quid dicat Paulus ad Hebræos scribens: Memores estote priorum dierum, in quibus illuminati multum certamen afflictionum sustinuistis. Non enim ad breue tempus, sed mox ab ipso exordio prædicationis & doctrinæ insurrexerunt aduersus eos tētationes, & mox à suscepto baptismo pericu-

periculis erant obnoxij. At quomodo, audi. Probris & afflictionibus velut in theatro expositi. Omnes enim despuebant eos, contumelijs afficiebant, deridebant, vituperabant, fatuos vocabant ac insensatos, quod deserta patria viuendi formula, noua placita suscepissent. Quæ quidem non parum valent ad commouendam animam, nisi fides profundè sit radicata. Nihil enim æquè animam mordet ac improperium, nihil æquè tabefacit mentem ac dicteria & conuitia. Nam multi viri per conuitia sunt sæpe subuersi. Hæc autem loquor nunc, vt cum fiducia fidem teneamus. Si enim illi totius orbis conuitio non sunt subuersi, multo magis nostra ætate fides magna confidentia retinenda est, quando totus orbis ad nostras partes defecit. Quod autem illi non intra calumnias tantum, & opprobria, conuitiáque rabiem suam continuerint, audi quæ sequuntur: Nam & direptionem (inquit) facultatum vestrarum cum gaudio pertulistis. Vides quòd & bona eorum confiscabantur olim, & omnibus præda erant expositi, qui eos lædere cupiebant. Atque hæc quidem ad Hebræos scribit. De Thessalonicensibus verò rursum aliud quiddam tale testatur: Vos (inquit) imitatores facti estis Domini nostri, qui suscepistis sermonē hunc cum afflictione magna. Vides etiam hos affligi, neq; simpliciter, sed afflictione magna. Vehemens tētatio, continuum periculum nec minimam quidem respirandi facultatem concedebat eis qui tunc temporis in certamine erant: attamen cum hæc tolerarent, non iniquè ferebant, neque animum despondebant, imò gaudebāt etiam. Vnde hoc apparet? ex verbis ipsius Pauli. Dicit enim; in afflictione magna cum gaudio spiritus sancti. Nam tentatio pariebat afflictionem, gaudebant tamen, reputantes quare tentarētur. Idonea enim erat consolatio, quod conscij sibi essent propter Christum se hęc pati. Quapropter non tam demiror

Hebr. 10.

1. Thess. 1.

Ibidem.

ror quod illo tempore affligebantur, quàm quod affligi se propter Christum lætabantur. Hoc enim generosæ ac Deum amantis animæ officium est, nimirum afflictiones & aduersitates ferre: atque insuper gratias agere ei qui se tentari permittit; id demum summæ fortitudinis meritò videri potest, animæq; vigilantis, & quæ omnibus humanis affectibus sit superior. Nec hic tantum, sed & alibi docens quanta mala paterentur eius temporis fideles à familiaribus ac propinquis (hoc enim erat grauissimum) in hunc modum loquitur: Vos enim fratres, imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa. Qua in re imitatores? quoniam & vos eadem perpessi estis à contribulibus vestris, sicut & illi à Iudæis. Ecce bellum, sed bellum ciuile, quod maiorem facit indignationem. Si enim inimicus exprobrasset mihi, tulissem. Tu auté (inquit) vnanimis meus. id quod tum in figura contingebat. Quapropter non mediocri opus habebant consolatione. Quod quidem Paulus cum videret, eosq; qui ad suam curam pertinebant, laborare ac sudare animaduerteret, quod cõtinuis calamitatibus degrauarentur, & alias super alias plagas ægrè sustinerẽt, vide quàm varijs modis eorũ animos excitet, nũc quidem his verbis: Siquidem iustum est apud Deum affligẽtibus vos reponi afflictionem. Nunc verò his: Dominus non longe abest, ne sitis solliciti. ac rursum: Cauete, abijciatis fiduciam vestrã, nam patientia opus habetis vt facientes Dei voluntaté, promissa bona reportetis. Deinde ad patientiam eos confirmans, subinfert: Adhuc enim minimũ quiddam superest dũ veniat qui vẽturus est, & non diu moratur. Quemadmodum puerulũ plorantem & molestè ferentem, matremq; suam requirenté asidens aliquis sic cõsolatur: Paulisper adhuc expecta, & omnino tua mater aderit. Ita etiã Paulus videns ægrè ferẽtes, cõquerentes, aduentũ Christi requirẽtes, eius temporis

1. Thess. 4.

Psal. 53.

2. Thess. 1

Hebr. 10.

poris

poris fideles propter intolerabilẽ malorum vim, consolaturus illos dicit: Adhuc minimũ quiddam superest dum veniat qui venturus est, & non diu moratur. Itaq; quod discipuli affligebantur, & plurima mala patiebantur, nec aliter quàm agni destituti in medio luporũ vndiq; persequutionẽ sustinebant, per hæc satis apparet. Vt autẽ sciatis quod etiam doctores non minora, imò verò multo grauiora sustinebant (nam quo magis inimicos veritatis contristabant, hoc plures eos infestabant) hoc quoque ab eodem qui superiora nos docuit audiemus. Corinthijs enim scribens sic loquitur: Nemini vllam impingendi occasionem dantes, ne reprehendatur ministerium nostrum, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in vagationibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs. Vidisti quantum certaminum enumerauerit, quàm crebras tentationes? Rursum eisdem scribens: Ministri Christi sunt (inquit) vt insipiens loquor, excellentius ego. Deinde volẽs nobis persuadere quod multo præstantius sit propter Christum affligi, quàm prodigia facere, & probationem adferens, quod germanus sit Apostolus, & præferendus alijs non Apostolis, sed pseudoapostolis, non à miraculis per se editis argumentatur, sed à continuis periculis in quibus versabatur, in hunc modum scribens: In laboribus copiosius, in verberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas vna minus accepi: ter virgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi: in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis inter falsos fratres: in labore & molestia, in vigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in

2. Corin. 6.

2. Cor. 11.

frigore & nuditate, propter ea quæ extrinsecus accidunt. Hi sunt veri Apostolatus characteres: prodigia siquidem & alij sæpe fecerunt, nec eis fecisse profuit, sed post omnia illa audierunt: Abite, non noui vos. Nemo verò eorum qui eadem quæ Paulus commemorare possunt, vocem illam vnquam est auditurus, verùm cum magna fiducia cœlum conscendet, bonísque cælestibus perfruetur vniuersis. Fortasse prolixior vobis visus est sermo noster: Sed ne sitis solliciti, non sum oblitus promissionis, & statim ad illam reuertar. Hæc autem non temerè longiore oratione prosequuti sumus, sed vt prolixiore verborum apparatu certius ac clarius doctrinam nostram approbaremus, simulq́ꝫ afflictorum animas cõsolaremur: vt quotquot in periculis versantur & tentationibus, idoneam nacti consolationẽ discedant, scientes quod socij Pauli per has afflictiones efficiantur, imò verò ipsius Christi angelorum Domini. Qui autem afflictionum eius particeps est in hoc sæculo, in

Roma. 8. illo particeps erit etiam gloriæ. Ait enim: Siquidem simul patimur, vt simul glorificemur. ac rursum: Si sustinemus, vt simul etiã regnemus. Omnino enim necesse est vt fidelium genus afflictionibus prematur. Omnes enim qui volunt piè in Christo viuere, persequutionem patientur. ac rur-

Ecclesi. 2. sum: Fili, dum accedis ad seruiendum Domino, præpara animã tuam ad tentationem. Rectè fac, & perdura. Bella verò promissio, statim ab exordio in tẽtationes incidere: egregia verò consolatio & exhortatio, eius seruitutis pericula confestim degustare. Planè egregia simul, & admiranda, & maximum lucrũ adferens. Quodnam illud? Audi quę sequuntur: Sicut enim in igne probatur aurũ, sic homines accepti in fornace tentationis. Quod autem dicit, sic accipe: Sicut aurum igne examinatum purius redditur, pari modo etiam anima, quæ inter afflictiones versatur ac pericula, hilarior ac splen-

splendidior per illa euadit, omnemq́ periculorum maculam abstergit. Hinc est quod ad diuitem illum dicebat Abraham: Lazarus recepit mala sua, hic autem consolationem recipit. Ac rursus Corinthijs scribens dicit: Propter hoc inter vos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos diiudicassemus, haudquaquam iudicati fuissemus. At cum iudicamur à Domino, corripimur, ne cum mundo condemnemur. Quin & fornicatorem illum hac de causa tradidit in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, ostendens quod tentationes & pericula salutem his qui cum gratiarum actione illa perferunt afferant, purgationemq́ animæ minimè vulgarem. Itaque quod afflictiones & innumeras calamitates pertulerint fideles, tam discipuli quàm doctores, ac ne minimum quidem respirauerint, varijs omnium generum bellis vndequaque circundati, satis hic noster sermo declarauit: & plura etiam de hoc è sacris litteris studiosi colligere possunt. Hactenus Chrysostomum audisse sit satis, de exemplo & eius vtilitate, alijsq́ nonnullis rationibus, quæ animum queant fidelis hominis persequutione deiectum erigere. Accedat his & ea perferendæ persequutionis ratio, quæ posita est in agnitione sui, & humili confesione peccatorum. Est enim patientia firmior, si nos persequutione dignos arbitremur: lætior quoque & alacrior est, si perferendis persequutionibus aboleri peccata & remitti persuasum habeamus. Quàm verò (inquit Cyprianus) grauis causa sit hominis Christiani seruū pati nolle, cum passus sit prior Dominus? & pro peccatis nostris nos pati nolle, cum peccatum suum proprium non habens, passus sit ille pro nobis? Idcirco is qui apud Machabæos sexto loco patiebatur, hac se contemplatione confirmauit, quod se peccatis digna pati fateretur. In quo proinde martyre non virtus sola (inquit Cyprianus) sed humilitas præ-

1. Cor. 11.

1. Corin. 5.

Lib. 4. Epistolarum Epistol. 6.

Cap. 11. Lib. de exhortatione marty.

dicanda est, nihil sibi eum vendicasse, nec confessionis suæ honorem superbis vocibus ventilasse, peccatis suis potius adscripsisse quod persequutionem à Rege pateretur, Deo verò dedisse, quod postmodum vindicaretur: Noli (inquit) frustra errare, nos enim propter nosipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum. Quærẽtibus autem quibusdam de pressuris persequutionum, atque dicẽtibus: Si nos peccatores ista meruimus, quare & serui Dei Barbarorum ferro perempti sunt? & ancillæ Dei captiuæ ductæ sunt? humiliter & veraciter & piè responderi iubet Augustinus. Quantamlibet enim iustitiam seruemus, quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus, nũquid meliores esse possumus illis tribus viris, qui in caminum ignis ardentis pro conseruanda lege Dei proiecti sunt? Et tamen lege quid illic dicat Azarias vnus ex tribus: Quoniam in veritate & in iudicio intulisti nobis omnia hęc, propter peccata nostra, quoniam peccauimus, & legi tuæ non paruimus, & mandatis tuis non obediuimus, vt bene nobis esset: & omnia quæ intulisti nobis, iudicio vero intulisti, & tradidisti nos in manus iniquorum, inimicissimorum transfugarum, & regi iniusto, & pessimo vltra vniuersam terram. Daniel quoque: Propter peccata nostra & iniquitates patrum nostrorum, Hierusalem & populus tuus venit in confusionem omnibus qui circum nos sunt. Si ergo ista dicunt qui excellentissima sanctitate ignes & leones circa se innoxios habuerunt, quid nos oportet dicere in humilitate nostra, qui tam longe illis impares sumus, quãtamcunque iustitiam seruare videamur? Non negligenda est etiã consideratio futuri supplicij & ignis æterni, quem Dominus fidem violantibus comminatur. Confirmauit hæc eum cuius in Psalmis vox est: Principes persequuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Tametsi igitur grauem Christianus perse-

Lib. 2. Machab. ca. 7.

Epist. 122.

Daniel. 3.

Daniel. 9.

persequutionem patiatur, & inextricabilibus periculis, qualia esse solent à principibus, circumualletur, perstat nihilominus verbo Dei corroboratus, quo dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, sed eum timete qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Inde licet immanitas bestiarum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde stridor candentium laminarum & flamma fornacis ardentis exæstuet: ex parte alia personent tractus grauium catenarum, hinc carnifex cruentus assistat. Quamuis igitur omnia circumspectet plena supplicijs, tamen illum ignem cogitans perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudescentis ærumnam, corde trepidat, & negare formidat, ne dum præsentibus cedit, perpetuis sese dedat exitijs. Refugit atque perhorrescit adorare bestiam & imaginem eius, quoniam scriptum est: Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & accipiet notam in fronte aut in manu, bibet ipse de vino iræ Dei, & punietur igne & sulphure, sub oculis sanctorum angelorum, & sub oculis agni, & fumus de tormentis eorum in sæcula sæculorum ascendet: nec habebunt requiem die ac nocte quicunque adorauerint bestiam & imaginem eius. Istiusmodi meditationibus qui sese exercebit, mota qualibet persequutione, poterit victor euadere, præsertim si humanis viribus diffisus, spem consequendæ victoriæ in Christi cruce & auxilio ponat, dicátque cum Beato Apostolo: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Non enim Christus tanquam spectator tantummodo cogitandus est, verùm etiam tanquam adiutor implorandus, qui in suis & luctatur & vincit, & coronat pariter & coronatur. Adest ille prorsus suo certamini, & præliatores atque assertores

Vide Amb. in psal. 118

Apocal. 14.

Galat. 6.

Cyp. lib. 2. Epistolarũ Epistola 6.

nominis sui erigit, animat, corroborat. Et qui pro omnibus mortem semel vicit, semper vincit in nobis. Huic igitur pia prece dicendum est quod Psalmus habet: Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilũ deducet inimicos nostros. ac rursum: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. & : Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Possim & cum diuo Cypriano dicere: Has cogitationes quæ potest persequutio vincere? quæ tormenta superare? Durat fortis & stabilis religiosis meditationibus fundata mẽs, & aduersus omnes diaboli terrores & minas mundi animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa & solida corroborat. Clauduntur oculi in persequutionibus terræ, sed patet cœlum. Minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mũdus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur: vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas & quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, vt Deus videatur & Christus? Hæc Diuus Cyprianus.

Psalm. 59.

Ib. de exhort. martyrij c. 12.

Quantopere fugienda sit elatio his quos in persequutione semel aut iterum fortiter facere contigerit.

CAPVT XIX.

SEd his qui sequentis persequutionis ferociam, istiusmodi cogitationibus instructi & armati, semel iterúmque superarunt, magnopere cauendum est elationis periculum, omníque studio modestia conseruanda, ne dum sibi de præterita fortitudine complacent, martyrijq́ nomine blandiun-

diuntur, suæ postea infirmitati iusto iudicio relinquantur. Nulla enim hic secura victoria est: nec martyrij gloria satis integra cuiquam cõstat, priusquam calcato sęculo ex hac vita migrauerit. Ideóque notanda sunt, quæ ex epistola Lugdunensium & Viennensium ad Asiaticos Phrigiósque fratres commemorat Eusebius: Referuntur (inquit) in ipsa epistola quædam, etiam de humanitate & mansuetudine beatorum martyrum, quæ dignum puto ad hæc suis sermonibus sicut cætera sociari. Qui (vt aiunt) ad imitationem Christi, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, in tãta gloria positi, & semel atque iterum ac frequentius martyres facti, post bestias, post ignes, & laminas, neque se ipsi martyres dicebant, neque alijs ita se appellantibus indulgebant: sed si fortè aliquis nostrum vel in epistola, vel in sermone eos martyres nominasset, increpabant acrius, dicentes quod hæc appellatio soli Christo debetur, qui solus fidelis veritatis est martyr, & qui primogenitus est ex mortuis, & author vitæ æternæ: vel certe illis solis aptũ hoc esse vocabulum, qui post bonam confessionẽ de hac vita discedere & pergere meruerunt ad Deũ. Nos autẽ (aiebant) humiles & egeni, optamus vt ipsa saltem in nobis confessio tuta permaneat. In quod etiam cæteros fratres cum lachrymis obsecrabãt, vt pro eis Dominũ precarẽtur, quo perfectę confessionis signaculum martyrio mererẽtur accipere. Et tanta in eis humilitas erat, vt cùm rebus ipsis essent iam martyres, nominis tamen iactantiam fugerẽt. Apud Gentiles verò cum omni fiducia consistebant, nobilitatem animæ per contemptum iniuriæ & suppliciorum demonstrantes. Erant ergo inter fratres humiles, inter persequutores elati, suis mites, aduersarijs terribiles, Christo subiecti, diabolo erecti. Sunt & ea quæ apud Cyprianum hac ipsa de re leguntur, notatu dignissima: Neque

Libro 5. Historiæ Eccle. ca. 3.

enim (ait) confeſsio immunem facit ab inſidijs Diaboli, aut contra tentationes, & pericula, & incurſus atque impetus ſæculares adhuc in ſæculo poſitum perpetua ſecuritate defendit: cæterum nunquam in confeſſoribus fraudes, & ſtupra, & adulteria poſtmodum videremus, quæ nunc in quibuſdam videntes ingemiſcimus & dolemus. Quiſquis ille confeſſor eſt, Salomone maior, aut melior, aut Deo charior non eſt. Qui tamẽ quamdiu in vijs Domini ambulauit, tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat cõſecutus obtinuit: poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiã Domini, ſicut ſcriptum eſt: Et excitauit Dominus

3. Reg. 11. ſatanam ipſi Salomoni. Et ideo ſcriptum eſt: Tene

Apocal. 3. quod habes, ne alius accipiat coronã tuam. Quod vtique Dominus non minaretur, auferri poſſe coronam iuſtitiæ, niſi quia recedente iuſtitia, recedat neceſſe eſt & corona. Confeſsio exordium gloriæ eſt, non meritum iam coronæ; nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem. Cúmque ſcriptum ſit: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit; quicquid ante finem fuerit, gradus eſt quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur: non terminus, quo iam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt confeſsionem periculum maius eſt: quia plus aduerſarius prouocatus eſt. Confeſſor eſt, hoc magis ſtare debet cum Domini Euãgelio, per Euangelium gloriam conſequutus à Domino. Ait

Lucæ 12. enim Dominus: Cui multum datur, multum quæretur ad eo: & cui plus dignitatis adſcribitur, plus de illo exigitur ſeruitutis. Nemo per confeſſoris exemplum pereat, nemo iniuſtitiam, nemo inſolentiam, nemo perfidiam de confeſſorum moribus diſcat. Confeſſor eſt, ſit humilis & quietus, ſit in actu ſuo cum diſciplina modeſtus; vt qui Chriſti confeſſor dicitur, Chriſtum quem confitetur, imitetur.

Fruſtra

Frustra sperari de persequutione gloriam apud Deum, si quis eam & propter fidem Christianam in schismate patiatur.

CAPVT XX.

FAllitur tamen quisquis in schismate constitutus, & ab Ecclesiæ Catholicę castris suo iudicio & voluntate segregatus, gloriã sibi apud Dominum de sua passione promittit, non modo si propter suam separationem & obstinatæ mentis errorem infestas sibi sentiat mundi potestates, verùm etiam si propterea quod nomen Christianum profitetur, ab huius nominis inimicis persequutionem patiatur. Verissima enim Apostoli sentẽtia est: Si quis etiam tradiderit corpus suum ita vt ardeat, charitatem autem non habuerit, nihil id ei profuturum esse. Nullum igitur sine charitate vel esse vel nominari martyrium potest (inquit Optatus) sine qua maxima & imperiosa virtus caret effectu, sine qua nihil valet omnium scientia linguarum, sine qua nihil potest etiam societas angelorum: Habere autẽ non potest charitatẽ, qui tanto scelere diuidat vnitatem. An aliud grauius esse delictũ potest, quàm aduersus Christũ stare? quàm Ecclesiã eius, quã ille suo sanguine parauit & condidit, dissipare? quã Euangelicæ pacis ac dilectionis oblitũ, contra vnanimẽ & concordẽ Dei populũ, hostilis discordiæ furore pugnare? Huius igitur maculæ summa deformitas, nullã superesse patitur afflictionis dignitatẽ: & gloriã quæ apud Deũ sperari de tolerata persequutione potuerat, intercipit & abolet. Ac beati quidẽ sunt qui persequutionẽ patiũtur, sed propter iustitiã. Iustus autẽ ex fide viuit; quæ fides, vt mortua non sit, & credentem viuificare possit, per dilectionem operatur. Vnde conficitur, eum qui fidem aut dilectionẽ non habeat, iustitiã habere non posse. Quocirca nec propter iustitiam patitur quã non habet, nec propter opus

1. Cor. 13.

Optatus Mileuitanus lib. 3.

opus vllum iustitiæ ipsi inhærentis, cuius expers esse comprobatur. Multi hæretici (inquit August.) nomine Christiano animas decipiẽtes, multa cum exultatione patiuntur, sed ideo carent mercede, quia non patiuntur propter iustitiam: quia vbi fides sana non est, non potest esse sana iustitia. Iustus enim ex fide viuit. Neque mercedem aliquam sibi promittant schismatici, quia similiter vbi non est charitas, ibi non potest esse iustitia. Neque tamen existimandum est, vituperandam eorum semper esse patientiam: Si quis enim (vt scriptũ est in lib. de patientia apud Augustinum) nõ habens charitatem, quæ pertinet ad vnitatem spiritus & vinculum pacis, quo catholica Ecclesia congregata conuertitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persequutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum & ignis æterni, nullo modo ista culpãda sunt: imo verò & hæc laudanda patientia est. Non enim dicere poterimus; melius ei fuisset vt Christum negando, nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo: sed existimandum fortasse tolerabilius ei futurum iudicium, quàm si Christum negando cuncta illa vitaret: vt illud quod ait Apostolus: Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest; nihil prodesse intelligatur ad regnum cælorum obtinendum, non ad extremi iudicij tolerabilius supplicium subeundum. Consequentibus autem verbis, sic astruit non esse illam damnandam schismaticorum patiẽtiam, vt etiam Dei donum esse declaret. Sanè vti pertinet ad Dei gratiã, quod in Christum adhuc credunt, sanamq; retinent Catholicæ fidei, magna sæpe ex parte, doctrinam: ita numerandum est in Dei muneribus, quod pro ea decertare non dubitent, vsque ad sanguinis profusionem. Sed sicut

Sic Aug. de sermon. Domini in mõte. lib. 1.

Lib. de patientia ca. 26. qui D. Aug. inscribitur.

sicut negandum non est hoc esse Dei donum, ita intelligendum est (inquit August.) alia esse Dei dona filiorum illius Hierusalem, quæ sursum libera est mater nostra. Hæc sunt enim quodammodo hæreditaria, in quibus sumus hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Alia verò eiusmodi, quę possint accipere etiam filij concubinarum, quibus Iudæi carnales & schismatici vel hæretici comparantur. Quamuis enim scriptum sit: Eijce ancillam & filium eius: neque enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac; tamen filios concubinarum, quando à filio suo diuisit Abraham, nonnulla eis etiam largitus est munera, ne omnino relinquerentur inanes, non vt tenerentur hæredes. Sunt autem hęredes, quibus dicitur: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Charitas igitur quæ Dei filios facit, ipsa eadem est quæ hæredes constituit. Quod etsi non habent hæretici & schismatici, ideoq; ad hæreditatem peruenire non possunt, tamē dona Dei quædam habent, veluti munuscula, quæ vituperanda non sunt, quia Dei sunt: nec tamen ad consequendum regnum cælorum, in quo beata est illa hæreditas, cuiquam sufficiunt. In his igitur illa ponenda est hæreticorum & schismaticorum pro Christi confessione patientia. Nam quando pro suo errore falsóque dogmate patiuntur, si (vt fit) fortiter & alacriter etiam perferre tormenta videntur, non hoc Dei munus vllum facit, sed cæca mentis obstinatio: quæ sensu proprio superbè delectata, & ab erroris ac superbiæ spiritu ludificata & possessa, vel stupore vel animositate quadam tormenta contemnit. Vnde & pro apertis sceleribus, non vt ea puniant, sed vt perpetrent, multa homines grauissima perferunt. Nónne de quodam nobilissimo patriæ parricida, sæcularium literarum loquuntur authores, fuisse eum patientem

Cap 17 lib. de patiētia & cap. 28.

Galat. 4.

Genes. 25.

Roma. 8.

tem inediæ, algoris, vigiliæ, suprà quàm cuiquam credibile est? Quid de latronibus dicam? qui cum insidiantur viatoribus, noctes perpetiũtur insomnes, atque vt transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet asperitate cœli nocentem animum córpusque defigunt. Quidam verò (quod & antea memorauimus) inuicem torsisse perhibentur, ita vt exercitatio cõtra pœnas, nihil distaret à pœnis. Nec tantum fortaßsis excruciabantur à Iudice, vt à dolentibus veritas exprimeretur, quantũ à suis socijs, vt à patiẽtibus non proderẽtur. Et tamẽ in his hominibus miranda est potius quàm laudanda patiẽtia, imò nec mirãda nec laudãda, quę nulla est, sed mirãda duricia, negãda patiẽtia. Cũ ergò videris quempiã aliquid ferre patienter, noli continuò laudare patientiã, quam laudandã non ostẽdit nisi causa patiẽdi. Quando enim hæc bona est, tunc illa vera est: quando nõ polluitur hęc cupiditate, tunc illa à falsitate discernitur. Sicuti enim sanctos charitas fortes efficit (fortis enim vt mors dilectio: & aquæ multę non potuerunt extinguere charitatẽ, nec flumina obruent illã) sic & cupiditas obfirmat animos ad dura quæq; perpetiẽda falsa quadã specie patiẽtię. Quantoq; maior est in sanctis charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur: & quanto maior est in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo quod cõcupiscitur, omnia tolerãtur. Denique sicuti charitas diffusa est in cordibus nostris, nõ ex nobis, sed per spiritũ sanctum qui datus est nobis, & idcirco vera fortitudo & patientia ex Deo est quam gignit charitas, quæ magnanima est iuxta Apostoli testimonium, & omnia tolerat: ita falsa fortitudo, vti & ipsa cupiditas, ex nobis est, & ex mundo, non ex patre, à quo est omne donũ optimum & datum perfectum. Fortitudinẽ Gentiliũ (ait Consilium Arausicanum) mũdana cupiditas, foritudinẽ Christianam Dei charitas facit, quę diffusa est in cordibus nostris, non per volũtatis arbitrium,

Aug. serm. 13. de verbis apostoli.

Vide Aug. lib de patientia c. 5.

Cantico. 8.

1. Cor 13.

Canon. 17.

trium, sed per spiritū sanctum qui datus est nobis, nullis meritis gratiā prȩuenientibus. Quapropter qui mirantur & quærunt: Si volūtas hominis sine vllo Dei adiutorio, viribus liberi arbitrij tā multa grauia & horrenda perfert, siue in animo, siue in corpore, vt mortalis vitȩ huius & peccatorū delectatione perfruatur, cur non eadē ipsa volūtas, naturali sibi possibilitate & robore sufficiēs, sine Dei adiutorio quicquid laboris vel doloris ingeritur, pro iustitia & vita æterna patientissimè sustinet? Hoc (inquā) qui quærunt & mirantur, non attendunt de ipso quoq; amore, ex quo vera vel falsa oritur fortitudo: Similiter quæri posse: cur cū hanc vitam aut eius cōmoda tanto ex nobis amore cōcupiscamus & prosequamur, non etiam ex nobis Deū præ cūctis rebus creatis amare queamus? Vbi in promptu ratio est, quia per vnum peccatū quod intrauit in mundum, corrupti & deprauati sumus, vt tanquam febricitātes noxia quidem quæq; delectent, salubria verò velut insipida respuātur. Ex hoc vitio, quo omnium infecta & debilitata natura est, valemus in malis, & in ijs ardemus quæ mundi sunt: in bonis verò & ijs quæ ad pietatem salutemq́; æternam pertinent frigemus, languemus, atque deficimus. Itaque vndecunque perditi homines pro sua iniquitate cūcta minantia & aduersantia perferant, vera certè patiētia & fortitudo, quæ recta est atque laudabilis, & vocabulo digna virtutis, non nisi ab illo est cui dicitur: Deus meus, eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui, quoniam tu es patientia mea Domine, spes mea à iuuentute mea. & iterum: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Nostra enim ipse patiētia est atq; fortitudo, quia suos cultores facit quælibet huius mundi terriculamēta & tormēta mirabiliter tolerare, adeoq́; inuicta protectione cōtra omnia vitia corroborat, vt animum nec blanda dissol-

Vide & Prosperum lib. 3 de vita contemplatiua cap. 20.

Psal. 70. Isaiæ 12. Prosper lib. 2. de vita cōtemplatiua c. 20.

Vide Bernardum, serm. 66. in cantica.

dissoluant, nec aduersa deijciant. Sicut immundus spiritus, Dei semper superbus æmulator, vt suos & ipse martyres habeat, eos quos possederit, aduersus quoscunque dolores & labores obdurat: nec mirandum est si tantum in ijs valeat, tantumque sit efficax, vt ab alio mortem illatam alacri vultu & lætis animis excipiant, cum nonnullos etiam huc malorum impellat, vt mortem sibimet ipsi consciscãt, tanta prorsus obstinatione moriendi, vt secretiora quoque loca petant, vbi remotis & inscijs omnibus, non asit qui propositum crudelissimæ voluntatis impediat. Persuasit olim quoque Platonis discipulis, vt quoniam legerant immortales animos, beatiúsque illos extra corpora, quàm in corporibus agere, præcipitio sibi finirent hanc vitam, animósque suos carnis custodia & carcere liberarent. Persuasit hoc & Circumcellionibus, schismatico Donatistarum spiritu furentibus, qui (vt Optatus ait) vel sibi percussores sub cupiditate falsi martyrij in suam perniciem conducebant, vel ex altorum montium cacuminibus viles animas proijcientes, se præcipites dabant. Omitto huius generis alia quędam, quæ huc conferre possemus, nisi satis demonstrasse videremur, non esse mirandam hæreticorum & schismaticorum patientiam, si quando contigerit eos pro suo errore vel schismate asperos tolerare dolores, aut ipsam etiam vitam profundere. Sicuti nec Philosophorum patientiam Cyprianus est admiratus, tametsi hanc illi prædicare & tanquam admirabilem ostentare solerent: quoniam apud illos tam falsa (inquit) patientia, quàm falsa sapientia est. Duritia igitur hæc aut pertinacia, non fortitudo est, & Diaboli sunt non Christi martyres, tanto profecto nequiores, quanto minus ab iniquitate aut errore potuerint iusta seueritate vel terrente, vel torquente reuocari. Si verò, vt initio propositum est, hæreticis atque schismaticis causa moriendi

Vide Augustinũ lib. 1. de ciuitate Dei per aliquot capita. & tract. 11. in Ioannẽ, & lib. 2. cõtra secundam Epistolam Gaudentij cap. 28. & Episto. 50. lib. 2. contra literas Petiliani 19. & 99. Lib 3. Serm de patientia.

riendi sit Christianę religionis inter eius inimicos Iudæos vel Paganos libera professio (quanquam non est ea vti prior obstinatio sceleratæ mentis, nec vituperanda patientia) nec sic tamen Christi martyres sunt, à cuius familia & corpore recesserunt: nisi quos forte in ipsa mortis expectatione recessisse ab Ecclesia & catholica religione pœnituerit. Namque iure inter Christi martyres beatus Hippolytus celebratur, qui (vt ait Prudentius:)

Quondam schisma Nouati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans.

Hic igitur munere Catholicæ fidei reddito,

Quum iam vesano victor raperetur ab hoste,
Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore sua multis comitantibus ibat,
Consultus quanam secta foret melior.
Respondit: fugite, ô miseri, execranda Nouati
Schismata, catholicis reddite vos populis.
Vna fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quā Paulus retinet, quamq; cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget, venerabile martyr
Cerno quod à cultu rebar abesse Dei.

Est etiam apud Eusebium ex quodam Apollonio de Martyribus ab hæresi Montanistarum resipiscentibus scriptum his verbis: Sancti martyres, qui pro vera fide martyrium ducunt, cum de Ecclesia procedentes ad passionem ducuntur, si qui fortè inuenti fuerint de hęresi Phrygum, secernunt se ab ijs, & respuunt eorum societatem, nec vllo genere cum iam martyrij palmam teneant, spiritui Montani & Maximillæ acquiescendum putant. Sicut & nostris temporibus apud Apamiam, quæ est supra Meandrum posita, gestum scimus à Gaio & Alexandro, qui de Eumenia martyres extiterunt. Busyrim quoque narrat Tripartita historia, cum de hęresi esset Abstinētium, clarissimā fortissimamq;

Lib. 5. eccl. hist. ca. 16.

Tripart. histor. lib. 6. cap. 13.

confeſsionem habuiſſe, ſed acta poſtea de hæreſi pœnitentia, in Eccleſia catholica eſſe conuerſatū. Sic igitur immutatis & pœnitētibus macula ſchiſmatis ſanguine deletur: ſic diuulſum prius à corpore membrum ſuo rurſum capiti, membriſq; cæteris copulatur: ſic cum venia & plena remiſsione delicti, corona datur martyrij. De his verò qui obfirmatum in finem vſque gerunt animum, loquitur Cyprianus, & dicit: Tales ſi occiſi in confeſsione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur, inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ nec paſsione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura eſt derelinquit. Pacem nobis Chriſtus dedit: concordes atque vnanimes eſſe præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inuiolata ſeruari mandauit. Exhibere ſe non poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. & infra: Cum Deo (inquit) manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi vel obiecti beſtijs, animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus: Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Similiter Auguſt. Si aliqua ingruente perſequutione, tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide, quam pariter confitentur, tamen quia ſeparati hæc agunt, non ſufferentes inuicem in dilectione, neque ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, charitatem vtique non habendo, etiam cum eis omnibus quæ nihil eis proſunt, ad æternam ſalutem peruenire non poſſunt. De confeſsione quoque Cyprianus idem ſignificans eſſe iudicium: Nicoſtratus (inquit) deſertor Eccleſiæ, confeſſorem ſe vltro iactat & prædicat, cum Chriſti confeſſor nec dici, nec eſſe iam poſsit, qui Chriſti Eccleſiam negauit.

Lib. 1. contra Donat. cap. 9.

Li. 2. epiſt. epiſtola 8. Item lib. 4 epi. epiſt. 2 & li. 1. ep. epiſtola 1.

Nam

Nam cum Paulus Apostolus dicat: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentũ istud magnum est, ego autem dico in Christum & in Ecclesiam. Cum hoc (inquã) beatus Apostolus dicat, & Christum pariter atque Ecclesiæ vnitatem, indiuiduis nexibus cohærentem, sancta sua voce testetur, quomodo potest esse cum Christo, qui cum sponsa Christi atque in eius Ecclesia non est? Frustra igitur hæretici & schismatici de persequutione sibi blandiuntur, præsertim cum eam propter suæ separationis aut pestiferæ seminationis merita patiũtur. Nec propterea iusti sunt, quia patiũtur persequutionem, sicuti nec semper iniqui sunt, qui eam inferunt. Itaque D. August. Donatistis suas persequutiones, quas à catholicis se perpeti querebãtur, asiduè iactantibus, tanquã propterea boni essent ac iusti: illi verò qui eos persequerentur iniqui, pluribus locis respondisse reperitur: velut in eo libro quem scripsit contra Donatistas post collationem: Et facere (inquit) persequutionem non est iniquitatis indicium, quia & boni faciũt malis, & mali bonis: & pati persequutionem non est iustitiæ documentum, quia eam non soli boni pro pietate, sed mali pro iniquitate patiuntur. Cum enim dixisset Dominus: Beati qui persequutionem patiuntur; ne inde se iactent hæretici, addidit, propter iustitiam. Nam quanta mala nostris fecerint furiosissimi clerici & circumcelliones partis Donati, nostis & vos. Incensæ sunt Ecclesiæ, missi in flammas codices sancti, incensæ etiam priuatæ domus, rapti homines de sedibus suis, & omnibus quæ inerant ablatis aut perditis, ipsi etiam laniati & excæcati. Nec ab homicidio potuit temperari, quamuis sit mitius huic luci mori, quàm istam lucem auferre viuenti, ventum est ad homines: non vt retenti aliquò ducerentur, sed tamen vt ista

paterentur. Nec tamen ideo nostros iustificamus, quia ista perpessi sunt: sed quia pro Christiana veritate, pro Christi pace, pro Ecclesiæ vnitate perpessi sunt. Illi autem sub tam multis, sub tam seueris legibus, & sub tãta Ecclesiæ catholicę, quam Dominus ei tribuit, potestate quid tale patiuntur? Si quando enim morte mulctantur, aut ipsi se occidunt, aut eorum cruentæ violentiæ dum resistitur, occiduntur: non pro communione partis Donati, nec pro errore sacrilegi schismatis, sed pro apertis facinoribus & sceleribus suis, quæ more latronum ruentes furore & crudelitate cõmittunt: pro parte autem Donati vix aliquid tale patiũtur, quale Cecilianum Donato instante passum esse dixerunt. Aut ergo persequutio non omnis iniusta est, aut non est persequutio dicenda cùm iusta est. Quapropter aut persequutionem pars Donati patitur iustam, aut persequutionem nõ patitur, quia patitur iustè. Non autem iustè passus est Cæcilianus, quia innocens probatus & absolutus est. Hactenus Aug. Quibus similia reperies apud eundem Epistola 50. quæ scripta est de moderatè coercendis hæreticis. Reperiuntur & Mõtanistæ sua olim iactasse martyria, aduersus quos scribens Apollinaris: Cum (inquit) in omnibus conuicti, nihil respondere potuerint, ad martyres confugiunt, dicentes multos se habere martyres, & hoc esse indicium quod verus sit apud eos propheticus spiritus. Quid ergo? Quia multi alij hæretici plurimos martyres habẽt, ideo acquiescendum est eis, quod etiam veritas apud ipsos sit? Nam primi qui dicuntur Marcionistæ, habent plures martyres: sed quæ esse poterit apud eos martyrij veritas, vbi Christi veritas non est? Possumus & nos ad similem modum respondere ætatis nostrę sectarijs. Ad suos enim martyres sæpe Caluinistæ confugiunt, atque hoc veritatis argumentum non infirmum censent. Quid ergo? num acquiescendum sectis

Apud Eusebium, li. 5. ca. 16. eccl. histor.

con-

contrarijs, quia plurimos & ipsæ martyres habent? Nam ipsi quidem, qui dicuntur Anabaptistę, maiore multo martyrum numero triumphare videntur. Sed quæ posſit apud eos esse martyrij veritas, vbi Christi veritas non est? Tenendumq́; illud omnino quod ex diuo Augustino tritum iam est: Martyrem non pœnam facere, sed causam. Epist. 50.

Adhibendum esse interdum Christiano defensionis officium.

CAPVT XXI.

POstremo in loco attingendum nobis est piæ defensionis officium: quo (quoad fieri potest) à sacerdotio, à clero, à templis, sacrisque omnibus persequentium sacrilegæ propulsantur iniuriæ: Hic enim se quoq; pietatis zelus vehementer exerit, ne res eæ quibus honoratur Deus & colitur, à prophanis hominibus conculcentur, aut certè in vsus alienos & prophanos rapiãtur. Contra verò, quę maior ac fædior esse queat irreligiosæ mentis ignauia, quàm pro domibus, pro thesauris, pro agris suis stare: pro ministris verò Dei, pro templis, pro sacris altaribus & imaginibus nolle repugnare? Atqui Machabæorum in hoc præclara virtus & immortalis gloria cognoscitur, quod pro lege præcipuè & patrijs institutis, temploq́; sancto fortiter steterint, impijsq́; & blasphemis gentibus, quarum erat summum studiũ vnius veri Dei cultum euertere, ferro & armis restiterint. Quorum pro pietate conatus non solum Deus non neglexit, verùm etiam mirabiliter adiuuit, seq́; ipsum ducem præbens, cum illis & pugnauit, & vicit. Fuit ijs temporibus genti illi, curæ maximæ templi honor & dignitas, quod & tum cum eos Heliodori non expectatus in templum terruisset ingressus, magnopere declararunt. Alij enim gregatim de domibus confluebant, publica Lib. 2. Machab. c. 13.

supplicatione obsecrãtes, pro eo quod in contemptũ locus esset venturus. Accinctęq; mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: Sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras prospectabant: vniuersę autem protendentes manus in cœlum deprecabantur. Erat enim miseræ commixtæ multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio. Et hi quidem inuocabant omnipotentem Deum, vt credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conseruarentur. Nondum periclitabatur ciuitas, non domus ciuium: non facultates, non sanguis petebatur, sed templo Dei, & his qui sua illi deposita crediderant, fieri non ferebant iniuriam. Decipi enim eos qui credidissent loco & templo, quod per vniuersum mundum honorabatur, pro sui veneratione & sanctitate, aiebat Onias omnino impossibile esse. Idcirco etiam Deus in Heliodori sacrilegam violentiam magnificè sane vindicauit. Equus enim terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus, cum impetu Heliodoro priores calces illisit: aliiq; duo iuuenes virtute decori circumsteterunt, atque ex vtraque parte flagellantes, verberibus multis & plagis affectũ reddiderunt exanimem. Posterioribus quoque temporibus, frequens in Ecclesia Christi pius eiusmodi pro Dei domo, rebúsque sacris zelus apparuit. Namque vt bella piis ab imperatoribus aut populis contra hostes religionis, pro ipsius religionis defensione suscepta præteream, impiorum quoque iudicum aut præfectorum prophana temeritas, sacris ab ædibus aut Dei ministris Christiano legitur feruore repulsa. Sæuiente quippe Galerio, præfectus Asclepiades Antiochiæ templum cogitauit irrumpere, sancta sanctorum dissipare, altaris aram funditus euertere. At quemadmodum est scriptum à Prudentio;

Lib. 2. Machab. ca. 3. & Ambro. lib. 2. offic. cap. 29.

Vide apud Eusebium quẽadmodũ Armenij Christiani effecti pro sua religione tuẽda aduersus Roma. Imp. Maximianum arma sumpserint, ac bella intulerint.

Pru-

Præcurrit iudex his repente cognitis
Romanus, ſacræ heros excellentia,
Venire in armis perduelles nunciat,
Animos pauentum præſtruens hortatibus
Stent vt parati, neue cedant turbini.
Conſpirat vno fœderatus ſpiritu
Grex Chriſtianus, agmen imperterritum
Matrum, virorum, paruulorum, virginum
Fixa & ſtatuta eſt omnibus ſententia:
Fidem tueri, vel libenter emori.
Refert repulſus miles ad ſubſellia,
Plebis rebellis eſſe Romanum ducem,
Flagrare cunctos peruicaci audacia.

Lib. 9 eccl. hiſt cap 8. Et Conſtātinus cont. Maxētium cap 9. Prudentius deſcribens martyrium monachi Antiocheni,

Romanus autem tanquam dux Chriſtianorum in hac templi defenſione, ad Iudicis tribunal protractus, facti ſui rationem in hanc ſententiam reddidit:

Intrare ſeruis idolorum ac dæmonum
Sanctam ſalutis non licet noſtræ domum,
Ne polluatur purus orandi locus:
Confido ſancto ſpiritu, nunquam tibi
Dandum vt beatum limen attingas pede,
Niſi fortè noſter factus, in noſtrum gregem
Mereare ſumi, quod Pater faxit Deus.

Cum etiam imperante Apoſtata Iuliano, præfectus Orientis nomine Iulianus, Eccleſiam ingreſſus, ſacra prophanaret, eouſque vt & impudenter contra ſacrum altare mingeret, (quemadmodum author eſt in Tripartita Theodoretus) Euzoius quidam, pio zelo ſuccenſus, prohibere conatus eſt, proptereaq; ab illo fuit in capite percuſſus. Atque vt intelligas quàm ſit officiũ hoc piæ defenſionis rationi conſentaneũ, Gentiles ipſi pro ſuis qualibuſcũq; ſacris, natura duce propugnandũ ſibi eſſe

cum certo vitæ periculo putauerunt. Vnde cum Maximinus Imperator (vt est apud Herodianum lib.7.) præter communes opes, templorum quoque donaria statuasq; deorum sibi adiudicauisset, ausi sunt quidam è populo contra resistere, templaq; tueri, & cadere etiam ante aras deorum immortalium. Nihil proinde iam mirum, si in Aphrica quoque aduersus furores Donatistarum, à pijs catholicis templa clausa sint, & quoad potuit defensa. Quod cum fieret, narrat Optatus Mileuitanus illos ascendisse culmina, nudasse tecta, tegulásque iactasse, ijsdemq; catholicos diaconos, cum altare defenderent, plurimos cruentatos, duos etiam occisos fuisse. Quid autem pius eiusmodi feruor Christianorum catholicorum, & pro sui præsulis tanquam Dei ministri defensione præstiterit, scriptum est à Gregorio Nazianzeno, in oratione funebri, qua Basilij laudes commemorat. In hunc enim cum Ponti præfectus grauius exarsisset, maximè quidem propter religionem, sed alio tamen (vt fit) quæsito colore: ciuitas cognito communi periculo, suiq; præsulis iniuriam, suam deputans, tota, inquit Nazianzenus, incendebatur: & veluti cum apum examẽ fumo commouetur, ita alius ab alio concitabatur, & insurgebat omne hominum genus, ætas omnis: præcipuè verò ij, qui Regi, texendo & arma faciendo, operam impendebant. Hi enim in talibus ferueritiores sunt, audaciam enim ex libertate habent. Arma verò vnicuique erant singula quæ ex artis obueniebant instrumentis, aut si aliud quid fortè casu obuenisset, faces erant ad manus, lapides ad iactum expediti, fustes parati, cursus omnium vnus, clamor idem, alacritas communis: Ira dux grauis, aut miles: sed nec mulieres armis tum carebant, cum eas tempus exacuisset: Radios enim habebant fraxineos, zeloq; roborabantur, ac in audaciã vertebantur virilem: & (vt breuiter dicam) pietatem diuidi arbitrabantur, si

tur, si hunc inter se partiti fuissent: isq; magis pius censebatur, qui prius manus præfecto talia auso intulisset. Quid igitur faciebat iudex seuerus & audax? Supplex erat, miserabilis, ærumnis plenus: & cui non humilior? donec illustris ille sine sanguine martyr, & sine plagis coronatus, populi cōpescuisset violentiam, illúmque sui cohibuisset reuerentia, sicq; supplicem suum & offensorem saluasset. Sic de Basilio Gregorius. Iam plebis Mediolanensis tum erga suum Episcopum Ambrosium, tum erga sacram Basilicam, ne in hæreticorum Arianorum manus veniret, ardens studium, ex ipsius Ambrosij litteris abundè cognoscitur. Illius enim peruigiles, noctes diésque, custodias significat extitisse. Augustinus quoque: Excubabat (inquit) in Ecclesia pia plebs, mori parata cum Episcopo suo. Quod si ita semper faciendum, cum fieri posset, Christiani putauerunt, & si prohibendas pro cuiusque virili ab Ecclesijs, Deiq; ministris iniurias existimauerunt, grauis esse debet eorum præsertim culpa, qui cùm authoritate arcere potuissent atque debuissent, non tamen vllum adhibuere defensionis officium. Quo loco notanda est epistola D. Augustini, quam scripsit ad Nectarium Episcopum, quæ est numero 202. In qua ostendit, in ea ciuitate, cuius ille ciuibus parci volebat, difficilè potuisse reperiri omnino innocentes, quod illatam per idololatras Ecclesiæ & clero nō prohibuissent aut submouissent iniuriam, cum id haud ægrè fieri potuisset: Accipe (inquit) breuiter quæ commissa sint, & noxios ab innocentibus ipse discerne. Contra recentissimas leges Calendis Iunijs, Paganorum sacrilega solennitas agitata est nemine prohibēte, tam in solenti ausu, vt quod nec Iuliani temporibus factum est, petulantissima turba saltantium in eodem prorsus vico, ante fores transiret Ecclesię. Quam rem illicitissimam atque indignissimam, clericis prohibere tentanti-

In oratione contra Auxentiū, li. 5 epistolarum

tantibus, Ecclesia lapidata est. Deinde post dies ferme octo, cum leges notissimas Episcopus ordini replicasset, & dum ea quæ iussa sunt velut implere disponunt, iterum Ecclesia lapidata est: postridie nostris ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud acta dicere volentibus, publica iura negata sunt. Eodémque ipso die, ne vel diuinitus terrerentur, grando lapidationibus reddita est, qua transacta, continuò tertiam lapidationem, & postremò ignes Ecclesiasticis tectis & hominibus intulerunt: vnum seruorum Dei, qui oberrans occurrere potuit, occiderunt, cæteris partim vbi potuerant latitantibus, partim quo potuerant fugientibus: cum interea contrusus & coarctatus aliquo loco se occultaret Episcopus, vbi se ad mortem quærentium voces audiebat, sibíque increpantium, quod eo non inuento gratis tantum perpetrassent scelus. Gesta sunt hæc ab hora ferme decima vsque ad noctis partem non minimam. Nemo compescere, nemo subuenire tentauit illorum, quorum esse grauis posset authoritas, præter vnum peregrinum, per quem & plurimi serui Dei de manibus interficere conantium liberati sunt, & multa extorta prædantibus: per quem clarum factum est, quàm facilè illa vel omninò non fierent, vel cœpta desisterent, si ciues maximè primates ea fieri perficique vetuissent. Proinde in vniuersa (inquit) illa ciuitate, non innocentes à nocentibus, sed minus nocentes à nocentioribus poteris fortasse discernere. Nam in paruo peccato illi sunt, qui metu deterriti, maximeque ne offenderent eos, quos in illo oppido plurimum posse & inimicos Ecclesiæ nouerant, opem ferre non ausi sunt: Scelerati autem omnes, quibus etsi non facientibus neque immittentibus, tamen volentibus ista commissa sunt, sceleratiores qui commiserunt, sceleratissimi qui immiserunt. Hæc Augustinus.

Non

Non esse res sacras prophanatoribus tradendas, etiam si mortis periculum impendeat.

CAPVT XXII.

NVnc verò si persequentibus impijs sacra, quoad fieri potest, defendenda sunt, ne ab illis polluantur atque prophanentur, quantum esse debet eorum crimen, qui poscentibus inimicis ea ipsa tradunt? Sacrilegium enim committunt, eóque ipso quæ sacra sunt prophanant, & Christo, cui fuerant dedicata, faciunt iniuriam. Denique illa non tradenda, sed custodienda, cum Christi & Ecclesiæ sint, acceperunt. Hinc Diuus Ambrosius: Cum esset (inquit) propositum vt Ecclesiæ vasa iam traderemus, hoc responsi reddidi: Me si de meis aliquid poscere- tur, aut fundus, aut domus, aut argentum, aut aurum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria. Cum & basilica peteretur, respondit: Templum Dei tradi à sacerdote non posse. Et rursum: Si imperator (inquit) à me peteret, quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, me non refragaturum esse, quanquam omnia quæ mea sunt, essent pauperum, verùm ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta. In eadem quoque ad Marcellam sororem Epistola, his sese verbis ad populum vsum fuisse scribit: Aduertitis quid iubeatur cum mandatur, Trade basilicam? Hoc est, dic aliquod verbum in Deum, & morere; nec solum dic aduersus Deum,

Li 5 epist. in Auxētiū de basilicis tradendis.

Epist. 33. ad Marcellam sororē.

Deum, ſed etiam fac aduerſus Deum. Mandatur, Trade altaria Dei; vrgemur ergo præceptis regalibus, ſed confirmamur ſcripturę ſermonibus. Quæ reſpondit: Tanquam vna ex inſipientibus loquuta es. Et infra: Mandatur denique, trade baſilicam. Reſpondeo: Nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, domum Dei exiſtimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo: Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt imperiale aliquod ius habere, Noli te extollere: ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: Quæ Dei, Deo: quæ Cæſaris, Cæſari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ: publicorum tibi mænium ius commiſſum eſt, non ſacrorum. Ad ſimilem modum D. Chryſoſtomus Gainæ magiſtro militum Barbaro & Ariano reſtitit, ne Eccleſiam, quam poſceret, obtineret: Theodoſioq; ſuadenti Eccleſiæ traditionem quam iam Gainæ promiſerat, quod illius potentiam & tyrannidis meditationem vereretur, reſpondit: Noli ô Imperator hęc promittere, neque ſanctum canibus dare. Non enim potero Deo benedicentes expellere, & ſanctum templum blaſphemantibus iniuſtè contradere. Ex his Ambroſij & Chryſoſtomi verbis haud obſcurè colligitur, quàm graue ſit traditionis crimen, quod ne cōmitterent Chriſtiani homines, manifeſtis ſeſe mortis periculis obijcere non dubitauerunt. Quin & excruciati multi, vt traderent, verbi gratia, codices ſacros, & quia tradere noluiſſent, occiſi ſunt, iureq; optimo pro martyribus habiti. Codices enim Dominicos perſequutoribus dare, vtique indignum eſſe, ait Auguſtinus. Tametſi pro ſua peruerſitate dicerent quidam: Cum hoc fecit traditor, non habet crimen, quia iuſſerat Imperator. ſicuti eodem loco Auguſtinus commemorat: Iſtæ res ſunt (inquit Opta-

Lib. 10. tri par. hiſ. c. 6 & Theodo. hiſto. lib. 5 cap. 32.

Lib contra Donat. poſt collat ca. 1.

Optatus) quæ solent martyria generare, si Christiano dicatur, Nega Deum; aut, Incēde testamentum, thus pone, aut basilicas dirue. Quapropter in concilio Arelatensi primo, quod tempore Cōstantini Imperatoris & Syluestri Papæ primi celebratum est, eiusmodi canon reperitur: De his qui scripturas sanctas tradidisse dicūtur, vel vasa Dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, vt quicunque eorum in actis publicis fuerit detectus, vel verbis nudis, ab ordine cleri amoueatur. Hoc crimen est, quod tantopere Donatistę ventilarunt aduersus Catholicam Ecclesiam, cuiusq; prætextu cōmunicare sibi cum ea phas non esse, aut cum Episcopis catholicis conuenire docuerunt, vsurpantes illud non sine intollerando supercilio: Indignum est, vt in vnum conueniant filij martyrum & progenies traditorum: cum nec ipsi tamen hac in parte reperirentur inculpati. Nā, vt est apud Augustinū, Siluanus Circensis Fœlici curatori sacramenta tradidit: Marianus ab aquis Tribilitanis Romano curatori tres codices obtulit: Victor Rusiccaziensis quatuor Euangelia veluti deleticia combussit. Et hi tamen Ceecilianum absentem damnare ausi sunt innocentem: Omninoq;, vt Optatus Mileuitanus ostendit, qui traditores in persequutione fuerant, ijdem postea schismatis authores extiterūt: In Aphrica (inquit) duo mala & pessima esse constat, vnum in traditione, alterum in schismate. Sed vtraque mala & vno tempore, & ijsdem authoribus videntur esse commissa. & paulò post: Ipsi (inquit) apices & principes omnium, aliqui Episcopi, illis temporibus, vt damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras breuissimas cōpararent, instrumenta diuinæ legis impiè tradiderūt. Ex quibus erat Donatus Masculitanus, &c. Aliquot enim traditores Episcopos recenset, qui fuerunt ijdem principes schismaticæ factionis: vltro quippe recesserūt, qui pro admissa tradi-

Lib. 3. ad Parmenianum.

Canon. 13.

Initio lib. cont. Donatistas post collationē.

In libello cōtra Fulgētium Donatistam.

Libro 1. ad Parmenianum.

traditione abijci debuerant, pellendi fuerant (ait
Libro 7. Optatus) post traditionem, de qua sibi in concilio Numidiæ confessi sunt. Sed ne inuidiæ essent, excusata est iudicandi seueritas, dum maiores vestri vltro inuenerunt de reatu consilium, vt cooperto crimine suo, quasi superbi discederent, quibus & dolere & erubescere debebatur. Non autem effugere videntur traditionis crimen, qui cùm sua præsentia & debuissent, & potuissent conseruare Dei sacras domos & altaria, fuga se subtrahunt ac deserunt, atque in potestatem sacrilegorum res Deo dicatas venire patiuntur. Itaque cum Imperator Valentinianus denunciasset Ambrosio, vt quò vellet iret: respondit dici sibi à sacerdotibus suis: Non multum interesse vtrum volens relinqueret, an traderet altare Christi. Cum enim reliqueris (aiebant) trades. Atque vtinam liquido (inquit) mihi pateret, quod Arianis Ecclesia minime traderetur, sponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de alijs omnibus inuadendis est præceptum? vtinam confirmetur, vt Ecclesijs nullus molestus sit, opto vt de me qualis videtur sententia proferatur. Hæc Epistola 32. ad Valentinianum imperatorem. In oratione quoque ad populum, quàm deserendam Ecclesiam minimè putauerit, cum hoc ne faceret aliqui metuissent, manifestè declarauit: Video vos (inquit) præter solitum esse turbatos atque asseruantes mei. Miror quod hoc fit, nisi fortè, quia per tribunos me vidistis aut audistis imperiali mandato esse conuentum, vt quo vellem abirem hinc, & si qui vellent, sequendi potestatem haberent. Metuistis ergo ne Ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem. Sed quid & ipse mandauerim, potuistis aduertere, deserendæ Ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse: quia plus Dominum mundi, quàm sæculi huius imperatorem timerem. Sanè si

me vis

me vis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem: paratum me esse, vt si ille faceret, quod esse solet regiæ potestatis, ego subirem quod sacerdotis esse consueuit. Quid ergo turbamini? volens ius nunquam deseram, coactus repugnare non noui: Dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus verò arma, milites, Gotthos quoque, lachrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere, fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo. Hæc D. Ambrosius de suo erga res sacras officio: quod ad alios quoque, præcipuéque sacerdotes, pertinet, vt neque tradant ipsi quæ Dei sunt, neque id committant, vt deserendo tradidisse videantur. Iustinæ quoque Augustæ, cum fugere & basilicam relinquere iuberetur, respondit: Hoc ego sponte non faciam, ne lupis ouium septa contradere videar, aut Deum blasphemantibus cedere: hîc si placet occide, hoc loco mortem prona voluntate suscipiam. Hæc igitur diui Ambrosij virtus inuicta fuit. Nec verò diuus Athanasius huic putandus est ita fuisse dissimilis, vt id faciendum existimauerit quod ille ne faceret, tantum periculum, tantúmque regiæ iræ suscepit. Est quidem scriptum in Tripartita historia, Athanasio Constantium Imperatorem sic dixisse: Sedem tuam decreto concilij nobísque consentientibus recepisti. Sed quia sunt aliqui in Alexandria populi, tuam declinantes communionem, vnam eos in ciuitate Ecclesiam habere permitte. Ad hanc verò propositionem istiusmodi verbis D. Athanasium occurrisse: O Imperator, habes potestatem iubere simul & agere, quæcunque volueris. Ruffinus verò addit eum, Deo suggerente, paratum habuisse consilium vt sic responderet: Quid est Imperator, quod poscenti tibi liceat denegari, qui pote-

Tripart. li. stor. lib. 9. cap. 20.

Li. 4. c. 30.

potestatem omnium habes iubendi? Sed num quia id dixit tradidit, aut iuris imperialis esse, quibus liberet Ecclesias tradere, declarauit? non tanto (vt arbitror) vir ille placendi & adulandi studio tenebatur, vt abs iure sacerdotali, cuius tantam rationem habuit Diuus Ambrosius, omninóque ab ipsa veritate discederet. Mirum itaque potius esse significauit, id ab Episcopo peti, quod faceret imperator si vellet, qui iam hoc ipsum alijs locis cõpluribus fecisset, vsque adeò vt plerisque Ecclesijs Arianorum factionibus occupatis, vix vnam per singulas ciuitates Catholici Ecclesiam retinerent, vnde non ait hoc se concedere, sed magis petitione sua illius petitionem elusit. Etiam ego (inquit) beneficium abs te deposco, quod mihi cõcedi precor. Principe verò continuò se daturum esse pronunciante, subiunxit Athanasius, idem beneficium sibi dari petens, quod quærebat imperator accipere: vnam enim & ipse Ecclesiam postulabat dari per singulas ciuitates declinantibus Arianorum communionem. Igitur, vt memorata continet historia, Athanasij sententiam inutilem sibi cognoscentes Ariani, hoc quidem differẽdum esse dixerunt, & agendum quod placeret Imperatori. Quod si Marcellinus quidam cognitor ab imperatore datus in causa quæ inter Catholicos & Donatistas versabatur, basilicas reddidit Donatistis, vnde fuerant antea pulsi, nullum id officio sacerdotali præiudicium facit: nec propterea licuit, quia fecit. Tametsi hoc ille magni boni contemplatione ac spe fecerit, quo videlicet possent Donatistæ hoc beneficio ad conferendũ cum Catholicis Episcopis inuitari. Quod si fieret, non parua spes affulgebat illos in concordiam reuocandos esse. Caietanus autẽ censet malum quodpiam tolerari posse, non solum ad impediendum maius malum, verùm etiam ad obtinendum magnum quodpiam bonum. Quo si referre D. Athanasij atque

Aug. initio collationis primæ diei in breuiculo cõtra Donatistas.

atque Marcellini memorata quiſpiam facta velit, non deerit quamobrem rectè prudenterq́ feciſſe videri poſsint. Fortaſsè & huc pertinet quod ſcriptum eſt in libro Pontificali, Ioannem primum eius nominis pontificem, impetraſſe ab Iuſtino Imperatore, vt Arianis Eccleſię in Orientis partibus redderentur, ne Theodoricus Arianus Italiam ferro flammáque vaſtaret. Nullo verò modo hæc ijs patrocinantur, qui nulla etiam tantarum neceſsitatum habita ratione, nullis preſsi talibus anguſtijs, ſic inſtituendam Eccleſiam putant, vt libera cuique ſui erroris profeſsio, liberáque ſectę cuilibet ſua templa tribuātur: quos refellere, pernicioſamq́ eorum ſententiam (quæ Babylonicam nobis inuehat confuſionem, non Eccleſiæ modo, verùm etiam regni commodis & tranquillitati nocentiſsimam) non eſt huius inſtituti prolixius confutare. Porrò hoc loco mirandum nobis occurrit illius exemplum virginis, de qua ſcriptum ſic eſt apud Oroſium: Diſcurrentibus per vrbem Barbaris (inuaſerat enim Romanam vrbem Alaricus Gotthorum rex) fortè vnus Gotthorum, idémque potens & Chriſtianus ſacram Deo virginem iam ætate prouectam in quadam Eccleſiaſtica domo reperit: cúmque ab ea aurum argentumq́ honeſtè expoſceret, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimum & mox proferendum reſpondit, ac protulit. Cumq́ expoſitis opibus attonitū Barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, ignota etiam vaſorum qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad Barbarū ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt, præſume ſi audes, de facto tu videris: ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Et ad hunc quidem illa modum egiſſe memoratur: diuinitus (vt arbitror) inſpirata fiducia nullam prophanationem ſequuturam eſſe, ſed honorem potius ac veneratione͂. Id quod etiam euenit. Nam re perlata ad Alaricum, iuſsit

Libro 7.

hic ea cum pompa reportari ad beati Petri basilicam, & relata sunt magna cum veneratione, hymnos Romanis pariter ac Barbaris concinentibus. Potuit verò beatus Laurentius prouidentissimæ sapientiæ consilio efficere, ne thesauri Ecclesiæ in manus persequutoris venirent: Aurum Ecclesiæ (inquit Ambrosius) maluit erogare pauperibus quàm persequutori reseruare: & ideò pro singulari suæ interpretationis viuacitate sacram martyrij accepit coronam: cúmque ostendisset consequentibus verbis quando quibúsque casibus liceat vasa Ecclesiæ confringere, conflare, vendere, subiungit: Opus est, vt de Ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad vsus nepharios sacri calicis ministerium transferatur. Cauendum hoc omnino est, præsertim cum & illud grauiter legamus reprehensum, si contracta ab schismaticis atque in massas redacta sacra vascula, sine discrimine personarum & delectu venderentur. Hoc (inquit Optatus) immane facinus geminatum est. Dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portitores: Quorum species reuocastis in massas, mercem nepharijs nundinis procurantes: ad quam nec emptores eligere voluistis, sacrilegi, dum inconsideratè vendidistis. Emerunt forsan in vsus suos sordidæ mulieres. Emerunt Pagani, facturi vasa in quibus incenderent idolis suis. O scelus nepharium! ô facinus inauditum! Auferre Deo, quod idolis præstes: subducere Christo, quod proficiat sacrilegio. Pietatis igitur hosti, & per sacrilegium contaminaturo, sacra vasa tradere non licet: Si verò nec occultari possunt, nec defendi, neque in alios vsus impendi, per quos sacrilegorum manibus subtrahantur: quid superest, nisi vt malum euenisse lugeamus, quod tolerare cogamur? Frequenter autem hoc quidem malum Ecclesia perpessa est: Sed intolerabilius ab hæreticis profe-

Lib. 2. officiorũ c. 28.

Lib. 6. contra Parmenianum.

profectum, quàm à Gentilibus fuit. Et Ariani quidem, imperante Constantio (quem alterum propterea Balthasarem appellare liceat, cuius ex Daniele notum sacrilegium est) grauissimas acerbissimásque hac in parte persequutiones reddiderunt. Exturbatis quippe catholicis Episcopis, inhumanissiméque tractatis, passim Arianis & impuris ac sceleratis hominibus traditæ sunt Ecclesiæ. Ex quo illa sunt in Epistola ad solitariam vitam agentes: Ecce nunc denuo Alexandriæ & in Ægypto, & per vniuersam Lybiam Ecclesias turbauit Constantius, & propalam edixit, vt catholicæ Ecclesiæ, eiectis piæ religionis Episcopis, in vniuersum Arianicæ opinionis hominibus tradantur. Hoc & dux exercitus facere incepit, & iam inde Episcopi, presbyterique & monachi, ferro vincti, plagis vsque ad mortem cæsi, alio atque alio transmittuntur, omniáque in singulis locis tumultibus agitantur, Ægyptus & vniuersa Lybia in periculum venit, populis rerum iniquitatem indignè ferentibus, quum ante oculos suos videant Antichristo viam præparari, sua sibi eripi, eáque hæreticis dari. Quando igitur vnquã audita est tanta iniquitas? quando tale malum vel in persequutione visum fuit? Ethnici erãt, qui prius persequebantur, sed tamen in Ecclesias idola non inferebant. Zenobia Iudæa erat, & protectrix Pauli Zamozatensis, sed tamen Ecclesias Iudęis in synagogas non tradidit. Nouum istud odium est, neq; simplex persequutio, sed immanitas quędam omni persequutione plena, procœmiumq; & præparatio Antichristi. Quin, vt eadem narrat Epistola, concitabantur idolorum cultores, qui ex præcepto Imperatoris inuaderent Ecclesias & populos lapidarent: per hos igitur cædes primùm factæ, subsellia deinde, thronus, mensa lignea, tabulæ Ecclesiæ, & cętera quæ efferri potuere, foris tradita flammis & corrupta sunt. Inter

Daniel. 5.

Epistola ad solitariam vitam agẽtes inter opera Diui Athanasij.

hæc idola sua laudibus ferebant, dicebantque: Constátius ethnicus factus est, & Ariani nostra agnoscunt. Sed cum inter cæteros vnus magna vi thronum conuellens, ad se distraheret, fragmento ligni inde in eius ventrem resiliente, & quasi ab ipsa vltione impacto, intestina sua perforauit, & eadem vi, qua solium disrumpere conabatur, rupto aluo, sua intestina profudit: Nimirum vltricem Dei manum cum Azotijs sensit, qui olim ausi sacram arcam attingere tractareque irreuerentius, diuina vltione perierunt. Non dissimilia scribit de Vandalis Victor Vticensis. Nam accésus aduersus Ecclesiam Gensericus mittit Proculum quendã in prouinciam Zengitanam, qui coarctaret (inquit) ad tradendum ministeria diuina, vel libros, cunctos Domini sacerdotes: vt primò armis nudaret, & ita facilius inermes hostis callidus captiuasset. Quibus se non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta populabatur, atque de pallis altaris, proch nefas, camisias sibi & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei exequutor, frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte. Hæc Victor lib. 1. de persequutione Vandalica. Neque verò nostri huius est instituti demõstrare prolixius quàm malè & aliâs cesserit sacrilegis: vt palam fieret, quanta veneratione & fide seruanda sunt ea, quæ Deo fuerint semel ad eius cultum honorémque dedicata & consecrata.

Vide lib. 6. tripar. hist. cap. 32.

Quibus argumentis palliari posse videatur traditionis crimen, & ad ea breuis responsio.

CAPVT XXIII.

SI quis autem videre vult, quibus modis persuadere queat, nullum aut exiguũ in traditione crimen esse, legat septimum Optati librum aduersum Parmenianum Donatistam: In quo argumenta colligit, plausibiliterque prosequitur quibus

bus Donatistarum patres suam traditionem excusare potuissent, si ad Ecclesiam pœnitentes redire, quàm ab ea per superbiam resilire maluissent. Primum illud est, quod Moyses populo indignatus tabulas quas digito Dei gerebat inscriptas, vltro nemine cogente proiectas fregerit. Si frangere licuit, neque id sacrilegij quicquam habuit aut iniuriæ in res sacras, cur non liceat tradere ei qui sit confracturus, præsertim vrgēte mortis metu? Nec tam est sacer codex humana manu conscriptus, quàm ille Dei digito lapis exaratus. Secundū, quod arcam, in qua lex erat Dei, presbyteri, cæterique Israelitæ fugientes tradiderūt inimicis Philistæis. Tertium, quod Baruch librū tradidit, quem postea rex impius minutatim concidit & combussit, illo interim qui tradiderat fuga sibi consulente. Nec tamen aut Moysi Dominus iratus legitur ob id factum, nec aut Israelitas arca relicta hostibus sacrilegis, aut Baruch, quia libro tradito fugerat, vlla vindicta sequuta est. Quartum, non magnum est quid scriptum sit in charta aut membrana, aut lapide, nec ea legis inscriptio magni facienda est, sed ea qua scribitur lex in corde per gratiā noui testamenti: non ergo multum interest quid in libro aut membrana tradatur, modo lex in corde salua permaneat: nec damnum vllum accipit Ecclesia, quando adhuc libris plenæ sunt omnium manus, eadémque omnia quę prius & docentur & discuntur. Ergo si nullo Ecclesiæ damno potest quibusdam libris traditis vita seruari, quid necesse est sine causa, ne liber tradatur, occidi? Rursum, si mēbranæ aut libri quibus diuinæ res conscriptę continentur, deberent illæsi & inuiolati seruari: tunc damnandi essent etiam vt sacrilegi, ij qui libros sacros negligenter abijciunt aut collocant, aut in ignes vel aquas excidere patiuntur. Vnde fit vt pereant omnino, aut corrosi à muribus, vel carie dimiuuti, non illæsi recipiantur. Postremò Anthiochi

Primū argumētum. · II. · III. · IIII. · V. · VI. · VII.

tiochi tẽporibus Iudæi coacti sunt libros in incendium dare. Quo factũ est vt de scriptura diuina ne apex quidẽ vnus remaneret, libris omnibus traditis: nec de Iudæis tamẽ quispiã est ob id damnatus. Ad hæc verò atque huius generis argumenta non difficile est respondere ei qui attenderit quid petat inimicus religionis, quando sacros codices postulat. Petit enim Christi iniuriam, petit extinctionem diuinæ legis, petit sacrorum cõculcationem. Qui proinde petenti vel metu acquiescit, hoc profecto quod ille petierit, facit. Quod igitur aliâs liceret vitæ causa conseruandæ, verbi gratia: Si onusta librorum sacrorum põdere nauis mergenda videretur, nisi libris in mare proiectis, hoc cum inimicus ad Christi petierit ac religionis iniuriam, facere omnino non licebit. Sicuti etiam Christiano liceret carne vesci ieiunij tempore, si nullus alius cibus suppeteret, essẽtque nisi manducaret fame periturus: tamen si hoc inimicus Ecclesiasticæ & Apostolicæ legis postulet, facere non licebit, nec siquidem in discrimen vita vocetur: petit enim bonæ legis violationem & contemptum, quem ne Christianus admittat, ordinatissimè religiosissiméque temporaria vita contemnitur. Possit verò cuipiam Optatus ipse talibus argumentis animi sui probasse videri sententiam, quod sępius repetat, si talibus argumentis vsi fuissent Donatistæ traditores, non eos iure potuisse à communione repelli. Item quod dicat id solum prohiberi à Deo quod voluntate fit, non quod fit necessitate. ait enim: Quicquid Deus fieri noluit, ore suo prohibuit, quomodo dixit: Non occides, non mœchaberis. Potuit etiã hoc prohibere quod à parentibus vestris admissum est, sed quoniam aliud est quod operatur euentus, quicquid de voluntate potest ab homine fieri, hoc meruit prohiberi: quicquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari. & infra: Ideo prohibita

dum

dum geruntur, iudicio destinantur: non inter-
dicta dum aliqua necessitate fiunt, fortè facilè
dignetur ignoscere qui noluit prohibere. Ve-
rum de Optati sententia constat ex ijs quæ su-
perius commemorata sunt ex eodem. Ostendit
autem quàm multis de causis potuissent excusa-
biles videri, atque ad veniam pertinere, nisi ma-
luissent per superbiam schisma facere. Quod au-
tem metu perterritus & turbatus necessitate co-
gente quis facit, nemo existimare debet non id
fieri voluntate. Est enim minus quidem vo-
luntarium quàm si abesset metus, sed tamen cum
quis faciat, non is potest videri nisi voluntate
facere. Non solet (inquit Augustinus) dici quis- *Lib de spi-*
piam voluntate fecisse quod fecit inuitus. Quam- *ritu & li-*
quam si subtilius aduertamus, etiam quod quis- *tera ca 30.*
que inuitus facere cogitur, si facit, voluntate
facit: sed quia malit aliud, ideò inuitus, hoc
est, nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo
facere compellitur, quod volens euitare vel à se
remouere facit quod cogitur. Nam si tanta vo-
luntas sit vt malit hoc non facere quàm illud
non pati, cogenti proculdubio resistit, nec fa-
cit: ac per hoc si facit, non quidem plena & libe-
ra voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate.
Cum igitur per quendam sathanæ satellitem no-
mine Magnum, qui Valenti imperatori comes
largitionum & dux militum fuerat, hæc atque
eiusmodi serpens antiquus sibilaret, quo Dei fa-
mulos vel ad simulatam pertraheret schismatis
Ariani societatem: Flectimini, & sinite vos mo-
ueri vt Ariano dogmati accedatis: veniam qui-
dem vobis numen (etiamsi vestra sit vera reli-
gio) facilè daturum est, ignoscétque diuinitas,
quod non vestra sponte, sed vi coacti feceri-
tis. Coactioni enim semper relinquitur defen-
sio, necessitatíque satisfactio adest: spontaneam
verò voluntatem digna accusatio subsequitur.

His igitur cum ille vocibus sollicitaret ad nephas, nihil persuasit catholicis ac probè instructis hominibus, sed nec perterrefecit ac fregit adiunctis minis, vlláue commemoratione tormentorum. Quin hoc potius responsum accepit fortissimis dignum pectoribus: Desine de cætero, desine huiusmodi nos territare sermone, desine verba inania profundere. Quantumlibet enim fremas, & tanquam procellosus ventus irrumpas, nos tamen de pietatis via non depellemur, sed pro orthodoxis dogmatibus ad mortem vsque decertabimus.

Tripart. histor lib. 7. cap. 40. Et Theodo. li. 4. ca. 22

Summaria comprehensio rationum earum quibus officium catholici hominis continetur in schismatica communione vitanda persequutionis tempore.

CAPVT XXIIII.

HOc igitur Christiani hominis officium est, quod animo sententiáque de religione tenetur, id obseruatione quoque præ se ferre: cum sit religio Christiana non in solo posita de rebus diuinis recto iudicio, sed in ipso pręcipuè opere, certáque & colendi & viuendi ratione: neque vsquam omnino nisi in Ecclesiæ catholicæ communione teneatur: vsque adeò vt qui se ab ea seiunxerunt, vel seiunctis communicant, etiamsi neque doctrinæ aduersitate, quod ad tempus fieri potest, neque sacramentorum diuerso ritu separentur, tamen veram non sequantur religionem. Non enim vlla in societate vera est, nisi in qua Deus fide, spe & charitate colitur: neque ibi charitate coli potest, vbi nefario schismate vnitas violatur, & animi bene prius iuncti diuiduntur, & altare sacrilegæ separationis, contra altare pacificæ vnitatis erigitur. Sic enim creditur & docetur (inquit Augustinus) quod est humanæ salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est, sapientiæ studium, & aliam religionem; cum ij quorum doctrinam

Lib de vera relig. c. 5

nam

nam non approbamus, nec sacramenta nobiscum communicant. Quod in illis minus mirandum est, qui eorum quoque sacramẽtorum ritu dispares esse voluerunt, sicut nescio qui serpentini qui appellantur Manichæi, sicut alij nonnulli. Sed in illis magis animaduertendum hoc, magísque prædicandum, qui paria sacramenta celebrãtes, tamen quia sententia dispares sunt, & errores suos animosius defendere, quàm cautius corrigere maluerũt, exclusi à catholica communione & à participatione quamuis parium sacramentorum, propria vocabula propriosq́ conuentus non in sermone tantum, sed etiam in superstitione meruerunt: vt Photiniani, Ariani, multiq́ præterea. Nam de ijs qui schismata fecerũt, alia quæstio est. Posset enim eos area Dominica vsq; ad tempus vltimæ vẽtilationis velut paleas sustinere, nisi vento superbiæ nimia leuitate cessissent, & sese à nobis vltro separassent. Iudæi verò, quamuis vni omnipotenti Deo supplicent, sola tamen temporalia & visibilia bona de illo expectantes, rudimenta noui populi ab humilitate surgentia, in ipsis suis scripturis nimia securitate noluerunt aduertere, atque ita in veteri homine remanserunt. Quæ cum ita sint, neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quęrenda est religio, sed apud eos solos qui Christiani catholici vel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes & recta sectantes. Hæc enim Ecclesia catholica per totum orbem validè latéque diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cum euigilare voluerint. Hactenus D. August. Cum igitur hæc ita se habeant, quisquis veram & illibatam tenere vult religionem, non id arbitrabitur sat esse, si probè calleat quid de Deo sit rebúsque diuinis omnibus sentiendum: verùm etiam omnem imprimis cum

Paganiſmo & Iudaiſmo communicationem vitabit,ne recta licet ſentiens, impia tamẽ ſuperſtitione maculetur. Deinde operam dabit ne vlli ſchiſmaticæ factioni communicet verbo factóue:quoniã & hoc modo falſa religione polluatur neceſſe eſt.Hoc ei prẹterea magnopere eſt conſiderãdum, quod ſicut vnus eſt Deus omnium effector & Dominus, atque vnus Dei hominúmque mediator Chriſtus Ieſus: ita vnica ſit in terris Eccleſia, ſub Imperatore Chriſto militãs: quæ & eius eſt familia quam paſcit, & ſpõſa quam diligit,& corpus quod animat ac vegetat ſpiritu ſuo ſancto: vt ſi crimen eſſe perſpicit,alterum Deum prẹter eum qui ſolus eſt, verbo vel opere profiteri, non dubitet etiam graui ſcelere inquinari, quotquot alteram ſimiliter Eccleſiam,prẹter eam quæ ſola vera eſt,verbo factóve præ ſe ferant. Eſt enim hoc diuellere ac diſtrahere Chriſtum, cum dicat Apoſtolus contra
1.Corin.1 ſchiſmaticos: Nunquid diuiſus eſt Chriſtus? Eſt hoc alteram ei ſponſam & amicam adiungere,cum
Cantic. 2. & 6. ſcriptum ſit: Vna eſt columba mea, perfecta mea. &: Sicut lilium inter ſpinas,ſic amica mea inter filias. Eſt hoc corpus eius dilacerare atque diſcerpere, quod malum in ſui diuiſione veſtimẽti pro-
Pſalm.21. pheticis verbis deplorauit ipſe,cum ait: Diuiſerũt ſibi veſtimenta mea. Hoc deniq; eſt tollere membrum Chriſti & facere membrum meretricis, quæ ſuo viro derelicto, & eius caſtiſsimo cubili contempto, nouis amatoribus, hoc eſt, nouitiorum errorum magiſtris, ſeſe turpiſsimè pernicioſiſsiméque proſtituit. Itaque ſi nefaria fuit inter Gentiles in ipſa Gentili ſuperſtitione communicatio, fieri non poteſt vt non inter hæreticos atq; ſchiſmaticos plurimũ ſit criminis habitura: quod illic quidem (vti antea quoque ſignificauimus) apertè & ſine fuco Regi Chriſto renũciatur: hic verò ſub profeſsione Chriſtiani nominis Chriſtus ipſe deſeratur & negetur. Illic irrogetur iniuria Deo prẹ-

ter quem adoretur alius:hic Ecclesię pientissimæ
matri,cuius sic inimica & æmula honoretur. Illic
ineatur cum diabolo societas, cui honos defertur
in idolo:hic eidem quoque iungatur tanquã prin-
cipi ac moderatori , qui in eam se societatem insi-
nuet:in qua Christus capitis loco non habetur. Ac
ne sine luculẽtiore scripturæ testimonio rem tan-
tam asseri quisquã putet, cur se dixit Dauid odisse *Psal.25.*
Ecclesiam malignantiũ,& nolle cum iniqua gerẽ- *& 140.*
tibus introire? Cur sic abhorruit ab ijs qui operã-
tur iniquitatem , & communicare recusauit cum
electis eorum? An esse potest nõ grauis iniquitas,
qua amplissimũ pacis & vnitatis munus dirũpitur?
qua princeps ipsa & vita virtutũ charitas,quam B. *Coloss.3.*
Apostolus perfectionis vinculũ appellauit,perni-
ciosissima hominũ distractione violatur? qua fu-
rialibus odijs Christiani in Christianos,hoc est in
fratres suos,incitãtur?qua pietas omnis extingui-
tur, exuitur humanitas, & tanquã effractis portis,
inuehitur omniũ officina vitiorum? Atqui hęc tam
grauis in Deũ & homines iniquitas,cętus schisma-
ticos cogit atq; cõglutinat;hęc vt Deũ seorsim co-
lãt,vel ijsdẽ vel alijs pro arbitratu ritibus surroga-
tis, impellit. Ideoq; cum colere se pulchrè putant,
offendũt:dũq; precãtur,dãnantur:& fit eis propria
ipsorũ oratio in peccatũ.Neq; igitur scripturæ de-
sunt,& ratio ipsa perspicuo sui lumine cõmonstrat
eorum crimẽ, qui schismati vel hæresi communi-
cauerint.Quid iam vel exempla maiorũ,vel docu-
menta requirantur?Sunt enim plurima.Hinc nẽpe
D.Cyprianus suos est crebris literis ac monitis ad-
hortatus,ne cõmunicarent cum Nouatianis.Hinc *In oratione*
D.Ambrosius fratrem laudat suum,quod cõmuni- *funebri de*
care noluerit cum schismaticis Luciferianis.Hinc *fratre Sa-*
Diuo Leoni curæ fuit, ne qui suorum nocturnis *tiro.*
polluerentur cœtibus Manichæorũ.Quanta verò *Serm.4. de*
piorum pastorum semper vigilantia fuit, ne com- *Epiph.Do-*
municaretur cum Arianis? Et quis D. Augustini *mini.*
salu-

saluberrimam doctrinam ignoret, qua frequenter ostendit nullam esse debuisse communicationem cum schismaticis Donatistis? Et sciebat ille quidem sacramenta Christi, vbicunque acciperentur, per seipsa sancta semper esse: probè tenebat, quod suis litteris frequenter inculcauit, sacratissima illa diuinæ operationis instrumenta, nullius aut impietate aut impuritate pollui posse: Et idem tamen scribere non dubitauit, eos schismatis sacrilegio vulnerari, qui eligerent extra communionem corporis Christi, baptismi sacramentum accipere, ad eandem licet communionem cum eo quod alibi acceperant continuò redituri. Sicuti & beatus martyr Ermigildus non ignorauit sanctum per seipsum fore quod Episcopus Arianus consecratum porrigeret, & is maluit tamen fortiter mortem oppetere, quàm accipiendo schismatica communione maculari. Bona sint igitur ea quæ traduntur in schismate: salutaria sint multa quæ illic audiuntur; potest quod bonum est accipi non bene. Vti profecto non bene, sed scelerate prorsus accipitur, si vel cum offendiculo & ruina fratrum, vel cum ipsa participatione detestandæ diuisionis accipitur. Bona per seipsa & sancta sunt sacramenta quæ Christus instituit: sed cum eadem vnitatis & vincula & signa sint, tu in his tibi cum illis cõmunicare licere censebis, cum quibus vnum esse non possis? Diuina prorsus & salutaria sunt Christi sacramenta; quis id Christianus ignoret? Sed cum Ecclesię tradita soli, foris nullo iure, sed cum iniuria graui teneantur atque tractentur, tu in hoc quod tam malè foris & contra Ecclesiam geritur, teipsum adiungere socium & cooperatorem non reformidabis? Quod si in ijs rebus quæ sanctæ per seipsas diuinæq; sunt, & ritè ab hominibus susceptæ salutem afferunt, fugienda cum hæreticis & schismaticis communio est: multo sane magis in ijs erit declinanda, quæ non tradita diuinitus, sed huma-

humanæ præsumptionis errore confícta sunt, ad vnicam illam & priſtinam Dei colendi rationem euertendam. Nec verò quiſquam audiendus erit qui dicat: Nouit Dominus quid ſecretius corde credas ad iuſtitiam, nouit quæ templa & ſacra volūtate venereris, quā vnitatem & ſocietatem intimis votis amplectare. Ream nō tenebit voluntatem in opere communicationis, quod non ipſa produxerit, ſed metus perſequutionis extorſerit. Primùm enim ridiculū eſt, ſi quis putet placere Deo cuiuſquam poſſe cor, cuius voluntariè manus aut lingua blaſphemet; eſtq; hoc ſtultè niti, ſic hominem vnum in duos diſtrahere, vt interior Deo, exterior diabolo ſeruiat: interior fidem ſeruet, exterior perfidiam exerceat: occultet interior pietatem, vnde non glorificetur apud homines Deus, exterior impietatem proferat atque manifeſtet, vnde etiam dedecoretur: atque iſto ſcilicet modo corde quidem credatur, non tamen ad iuſtitiam, & ore vel opere ipſo confeſsio fiat, ſed ad perditionem. Deinde quæ fuerit laudatiſsimi illius ſenis Eleazari virtus, cum ſuillam contra legem edere iuberetur? quæ martyrum innumerabilium gloria, cùm dijs alienis ſacrificare cogerentur, ſi ad purgationem communicationis, eiuſmodi ſuſcipienda ſit oratio? Nónne & illi dicere hunc in modum potuerunt? Nouit Dominus quem Deum mente colamus, Nouit cuius implendam & amandam legem non dubitemus: ream non tenebit voluntatem in opere impietatis, quod non ipſa produxerit, ſed metus extorſerit. Denique ſicut ab inuitis facta iure multa laudātur, quoniam prudenti voluntate minora profundere bona maluerunt, quā perdere potiora: ſic & ab inuitis admiſſa quædam meritò vituperantur, quod præpoſtera voluntate, maiora quæ cupiſſent bona perdiderunt, vt longe minoribus fruerentur. Semper igitur hæreticorum fraudes & impoſturas ſuſpectas habebit

Chri-

Christianus catholicus: quorum huc omnis vigilantia ſpectat, vt cum opprimere orthodoxos non poſſunt, illos habere videantur ſuis à partibus conſiſtentes. Honorari namque ſchiſmata cupiunt ab ea maximè Eccleſia, cuius eſſe non ignorant primariam in terris authoritatem. Ideóque modis omnibus ſocietatem expetunt, eámque aut eliciunt fraudibus, aut minis vel tormẽtis extorquent. Porrò quanti ſæpe negotij ſit omnem maculam effugere, vt ſaltem nec communicaſſe videamur, exemplo ſunt Ariminenſis concilij patres. Qui vt fuerint dolis Arianorum Epiſcoporum circumuenti, prolixè eſt à Seuero Sulpitio commemoratum. Tametſi autem illi reuera cum Arianis in ſenſu non communicauerint, tamen communicaſſe ſunt viſi, propter concordiæ ſpeciem in fide ab Arianis ipſis concepta atque præſcripta: vt mẽte licet animiq; ſententia non eſſent Ariani, ſpeciem tamẽ Arianiſmi neutiquam effugerent. Propter quam diuus Hieronymus dixiſſe videtur: Tunc orbis ingemuit, & Arianum ſe eſſe miratus eſt. Ait idem quoque de Ariminenſis concilij patribus, quod ſine conſcientia hæretici ferebantur. Nam Conſtantius quidem imperator Ariminum conuenire iuſſerat Epiſcopos vndecunque aſcitos, Tauróque præfecto imperauerat vt collectos in vnum non ante dimitteret, quàm in vnam fidem conſenſiſſent, promiſſo eidem conſulatu, ſi rem effectui tradidiſſet: Eo factum, vt poſt multas concertationes & luctas paulatim plerique noſtrorum, partim imbecillitate ingenij, partim tædio peregrinationis euicti, dederent ſeſe aduerſarijs. Et in magnis quidem perſequutionum periculis non inſtructiſsimo homini facilè quælibet ratiuncula communicationem perſuaſerit, externi ſaltem verbi vel operis quadam ſimulatione fallentem. Nam & illud quod ſupra protulimus de ſimulatione Iehu, quibuſdam impoſuiſſe

Lib. 2. ſacra hiſtor.

Hieron in dialogo cõtra Lucife.

ſuiſſe

fuisse non procul ab orbe nostro constitutis accepimus: sicuti & id quosdam fefellit quod scriptum est in Epistola Hieremiæ, quam scripsit ad Iudæos in Babylone captiuos: Visa itaque turba de retro & ab ante adorantes, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari Domine. Vnde confici quidam putant nihil fore peccati, si media in turba adorãtium, vel alioqui impiè quiddam & contra Christi vel sponsæ eius honorem agentium constitutus Christianus, quod more cæterorum facere videatur, tacitis cogitationibus & secretioribus animi motibus detestetur, illud identidem secum reputans: Te oportet adorari Domine. Cui errori se mox opponit legio sanctissima Thebeorum. Nam cum in Galliam Maximianus Imperator venisset, atque in Sedunorum finibus sacrificij causa constitisset, Thebeorum legio, ne impiorum societate sacrorum contaminaretur, ab reliquis sese copijs seiunxit. Quam ob causam immissa exercitus parte, decimum quemque sacrilegus imperator iussit occidi. Quod martyrium cùm sua sponte, tum duce & hortatore Mauritio suscipere maluerunt, quàm imperata facere nepharij Imperatoris, qui eos, cum discessissent, ad sacrificij communionem sæuo imperio reuocarat. Quid igitur sibi vult propheta Hieremias? Rudes & crassos Iudæos instruit ac præmonet, ne multitudine adorantium & publica solemnique veneratione idolorum permoti, diuinitatem inesse ligno aut lapidi putent, atque in communem cęcæ gentilitatis errorem rapiantur, in quem tum populus ille admodum propendebat. Sed si adorantium turbis circumfundi contigerit, neque omnis fortè possit idololatrarum societas euitari: saltem adorent Deum vnum mente, neque conceptam de eo fidem elabi sibi patiantur. Itaque consequentibus Epistolę verbis id agit magno molimine rationum, vt persuadeat miseris illis, idola quæ mani-

Baruch. 6.

Ibidem.

manibus conficerentur humanis, Deos non esse. Nos verò hoc opusculo non id egimus, neque in eo elaborauimus, vt fides Catholica teneretur firmo semper animorum assensu: aut vt ignaros hæreseôn vel schismatum, rudésque doctrinæ Christianæ homines quid illa sint doceremus: sed homini Christiano, iamq́ cognitione catholicę veritatis illustrato, tuendæ proferendæq́ suæ religionis, etiam inter aduersarios, officium pro concessa nobis facultate pręscripsimus. Quod vt faceremus, nostra nos tempora commouebãt. In quibus is est rerum status, vt non modo in area dominica ingens palea granis adhærescat, nec malos tantummodo cum bonis pisces euangelica sagena complectatur, aut in agro Domini cum tritico zizania permista cernantur (quippe hæc omnium fuere temporum, locorúmque omnium) verùm etiam premantur & concutiãtur vehementer castra sanctorum ab Antichristi ministris, tantúmque horum non paucis in locis valeat vis atque authoritas, vt Ecclesię catholicæ pristinus ille decor ac propemodum vultus ipse conciderit. Videre est omnino hoc infœlicissimo tempore, miserabili fœditate Christianas domos familiasq́ turbatas. Nempe mariti & vxores de suo inter se lecto consentiunt, & de Christi altari dissentiunt: per illum sibi iurant vt inter se pacem habeant, & in illo pacem habere non possunt: filij cum parentibus vnam domum habent, & domum Dei non habent vnam: succedere in eorum hæreditatem gestiunt, cum quibus de Christi hæreditate rixantur. Serui & domini communem Deum diuidunt, qui serui formam accepit, vt omnes seruiendo liberaret. Quoniam igitur pijs sæpenumero hominibus, non inter malos modo catholicos, verùm etiam inter hæreticos & schismaticos, qui de nostra quotidie palea generantur, cum luctu viuendum est, neque euitari omnis cum ijs societas potest,

test nisi de hoc mundo exeatur, non ignorandum fuit quonam modo inter eos vera pietas non solum cognitione & assensu integra, sed etiam obseruatione & factis inuiolata atque inoffensa teneretur. Quod si fortè cuipiam minus accuratè, minúsque plenè omnia quæ huc pertinebant exequi videbimur, is velim rationem habeat rerum nostrarum afflictissimarum, quo tempore labor à nobis hic susceptus est. Circumuallantibus enim vndique malis, sæpenumero vel metus, vel mœror obturbabant. Namque in hosce tristissimos dies, non vnum duntaxat genus cladis incidit, sed simul & hæresis in perniciem grassatur animarum, & bello, fame, peste cuncta vastantur. Iam illis possum versibus mala nostra lamentari:

PROSPER.

Qui centum quondam terram vertebat aratris,
Æstuat, vt geminos possit habere boues.
Vectus magnificas Carpentis sæpe per vrbes,
Rus vacuum fessis æger adit pedibus.
Non idem status est agris, non vrbibus vllis,
Omniaq; in finem præcipitata ruunt.
Ferro, peste, fame, vinclis, algore, calore,
Mille modis miseros mors rapit vna homines.
Impia confuso sæuit discordia mundo,
Pax abijt terris, vltima quæq; vides.
Et si concluso superessent tempora sæclo,
Vt posset longos mundus habere dies:
Nos tamen occasum nostrum obseruare deceret,
Et finem vitæ quemq; videre suæ.
Nã mihi quid prodest, quod longo flumina cursu
Semper inexhaustis prona feruntur aquis?
Multa quod annosæ vicerunt sæcula syluæ,
Quódque suis durant florea rura locis?

Ista manent, nostri sed non mansere parentes,
Exigui vitam temporis hospes ago.
Non ergo sumus hic nequicquam in sæcula nati,
Quæ pereunt nobis, & quibus occidimus.
Sed vitam æternam vita vt mereamur in ista,
Vt subeat requies longa labore breui.

FINIS.

ERRATA.

Pagina 17. in margine pro Cap. 17. Lege 7.
Pagina 47. L. 1. etiamsi assumpserit.
Pagina 69. L. 29. Quia vnumquemque.
Pag. 110. L. 8. perficiendi facultas.

ANNO-

ANNOTATIONES in librum præcedentem.

Pagina 23. De Sancto Eusebio.

Error vel potius mendacium eius qui callide sua verba inseruit sermoni Catholico sub nomine Ambrosii, beatum Eusebium asserens martyrem, vel ex eo coarguitur, quod ipse Ambrosius serm. 82. & alij quidam Eusebium hunc Vercellensem confessorem appellent, non martyrem.

Pagina 30. De Philosophis cum populo sacrificantibus.

Quod de philosophis generatim hic dicimus, habet idem August. lib. de vera religione cap. 1. & 2. de ipso quoque Socrate speciatim mentionem faciens: Satis (inquit) quantum mihi videtur, apparet aliud eos in religione suscepisse cum populo, & aliud eodem ipso populo audiente, defendisse priuatim. Socrates tamen audacior cæteris fuisse perhibetur, iurando per canem quemlibet & lapidem, & quicquid iuraturo esset in promptu, & quasi ad manum occurrisset. Credo intelligebat qualiacunque opera naturæ, quæ administrante diuina prouidentia gignerentur, multo quàm hominum & quorumlibet opificum esse meliora, & ideo di-

uinis honoribus digniora quàm ea quæ in templis colebantur. Et infra: Postea suauius ad legendum quàm potentius ad persuadendum scripsit Plato. Non enim sic nati erant isti, id est, Socrates & Plato, vt populorum suorum opinionem, ad verum cultum veri Dei à simulachrorum superstitione, atque ab huius mundi vanitate conuerterent. Itaq; & ipse Socrates cum populo simulachra venerabatur, & post eius damnationem mortemq;, nemo ausus est iurare per canem, nec appellare quemcunque lapidem Iouem. Sic August. eo loco. Ipse quoque Seneca nobilissimus ætatis suæ philosophus, atque illustris populi Romani senator, sicuti suis ipse verbis declarauit, hoc colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat: Quia videlicet magnum aliquid eum philosophia docuerat (inquit Augustinus) ne superstitiosus esset in mundo: sed propter leges ciuium moresque hominum non quidem ageret fingentem Scenicum in theatro, sed imitaretur in templo: eo damnabilius, quod ea quæ mendaciter agebat sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret.

Lib. 6. de ciuit. Dei cap. 10.

Pagina 32. De sententia Caietani.

NOn abs re Caietanus, Non enim argumento leui mouebatur. Nam si est idololatra censendus, qui externo cultu defert honorem

autem idolo, ei sacrificando, hoc ipsum interim animo secretius improbante, sicut Socrates fecisse videtur: ergo cum in Christianum idololatram excommunicatio profertur, etiam is qui hoc metu finxerit videatur innodatus. Ad similem modum si excommunicetur confractor sacrarum imaginum, aut conculcator augustissimi Eucharistiæ sacramenti, aut qui fuerit in sanctos cum Christo regnantes verbo factóue iniurius: etiam is videtur esse comprehensus, qui hoc contra conscientiam sociorũ metu vnà cum ipsis peregerit. Si autem excommunicetur hæreticus, non est consequens vt is incurrisse videatur censuram, qui solam protulerit vocem fidei contrariam sine mentis assensu; non enim est hæresis sine errore mentis, & eo quidem cum quo pertinacia coniuncta sit. Adiungam hic & Nauarri censuram, quod ex eius verbis quàm ex meis fieri quis fortasse possit instructior: Tertio (inquit) qui ex metu vel aliam ob causam dicit ex animo aliquid contra fidem, vel consensit in aliquod opus infidelitatis exterius, etiam si intra se & in corde suo oppositum crederet, sicut Marcellino Papa legimus contigisse, cap. Nunc autem, 21. distin. qui non solum est excommunicatus in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ, secundum Caietanum, 2. sec. q. 94. art. 1. Sed huius oppositam sententiam olim pro responso dedimus, interro-

Cap. 11. numc. 25

gati de certis casibus, qui cuidam religioso societatis Iesu, apud Sarracenos agenti occurrerunt, erga Christianos quosdam, qui timore percussi, & propter alias causas se esse Sarracenos finxerunt: & sequuti sumus eum qui repertorium Inquisitorum composuit in verb. hæreticus, col. 24. Quod nunc quoque verius arbitramur, quàm quod Caietanus asseruit. sic enim Syluest. verb. hæresis, q. 9. & 10. Tabiensi verb. hæreticus. nu. 2. & verb. Apostasia. nu. 3. visum est. Et profectò etiamsi hoc nullus assereret, nos eandem sententiam teneremus. Quoniam huiusmodi homo non est verè hæreticus, quamuis grauissimè peccet, secundum Alex. Halensem 2. par. tit. 183. membr. 2. Et Ocham. 2. par. Decalog. cap. 6. id quod ex hæretici hæresisque definitione, quam in repet. c. Nouit. de Iudic. notab. 3 num. 41. adduximus, comprobatur. Et excommunicatio illa iuris, quæ continetur in bulla cænæ Domini, solum infertur contra hæreticos credentes, vel contra fautores, & receptatores hæreticorum, quorum de numero non est censendus is, de quo modo loquimur, nisi quando aliquod opus exterius hæreticum commisisset, alicui hæresi auxilium præstando: in quo casu excommunicatus remaneret, non quia hæreticus, sed quia fautor hæreticorum.

Pagina

Pagina 34. De Marcellino.

VBi positum Marcellus pro Marcellinus. Hic enim Marcellinus conuictus est thurificasse in templo Isidis & Vestæ. Ideoq; in synodo 300. Episcoporum & 30. presbyterorum caput cinere conuolutum habens, voce clara clamans, dixit: Peccaui coram vobis, & non possum in ordine esse sacerdotum. Pòst autem ab ipso Diocletiano pro fide Christi cum Claudio, & Cyrino, & Antonino capite truncatus est, martyrióque coronatus.

Pagina 41. De schismatici sacerdotis absolutione.

QVod dicitur & à schismatico separato absolui posse pœnitentem in casu necessitatis extremæ; consentaneum est decreto Tridentinæ synodi, in quo eiusmodi verba sunt: In articulo mortis omnis sacerdos quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & cẽsuris absoluere potest, sess. 14. cap. 17. Ex quibus verbis non dubitauit Nauarrus dicere quod sacerdos etiam excõmunicatus & denũciatus, potest hodie absoluere licitè fidelẽ constitutũ in prædicto articulo necessitatis, sicut non excõmunicatus. Tum quia conciliũ vniuersaliter, nullum excipiendo, loquitur: tum quia nõ obstat quod per excõmunicationem tollatur, vel certè suspendatur iurisdictio, quam

ſaltem habitualem habet iure diuino,& c.Cap. 27. Cum igitur ait D. Thomas in tertia parte quæſt.82.art.7.ad 2. Solus bapt[illegible] permittitur ratus eſſe hæreticis, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis, in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre; aut ſub baptiſmo pænitentiæ ſacramentum intelligendum eſt, quod illi in neceſſitate correſpondet, aut quod dicit probabile non eſt.

Pagina 44. De Origene.

EST ſcriptum de Origene apud Nicephorum lib.5.Eccl.hiſt.cap.32.quod ad euitandum corporis ſtuprũ & impuri Æthyopis libidinem, fidem negauerit. Verùm in eo haud dubiè impiè fecit, ſicuti & perperam aliâs, quod ſemetipſum caſtrauerit. Magis imitandus in eo, quod iunior noluit cum hæretico vel in oratione conſiſtere. Sic enim ſe habeb[illegible] Eccleſiaſtica regula: Vnde eſt inter Apoſtolicos canones 63. Si quis clericus aut laicus ſynagogam Iudæorum aut hæreticorum conuenticulum ingreſſus fuerit, vt preces cum illis coniungat, deponitor, & à communione ſecluditor. Eſt etiam Laodiceni concilij canon 33. non oportere cum hæreticis vel ſchiſmaticis orare, & concilij Chartaginenſis quarti canon 72. cum hæreticis nec orandum, neque pſallendum. Cæpit igitur melius Origenes quàm

deſijt:

desyt: vltima primis cesserunt; dissimiles hic vir & ille puer: vsqueadeò vt diuus Hilarius scripserit Origenem non fuisse hominem Ecclesiæ. Plura videre licebit apud Vincentium Lirinensem.

Pag. 54. de facto Salomonis.

MIrum cuipiam videri possit cur peccauerit Salomon immolans in excelsis, præsertim cum in excelso Gabaon, quo se contulerat, esset tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyses; & altare æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel, ibi erat corā tabernaculo Domini: atque in eo mille hostias obtulit Salomon Domino, 2. Paral. cap. 1. In tabernaculo autem vbicunque esset offerre licebat, nondum præsertim ædificato templo. Respondendum est, popularem consuetudinem immolandi in excelsis fuisse improbandam, quod non ad tabernaculum ea respiceret, sed ad ipsa excelsa: in quibus, cum plura essent, etiam sine tabernaculo Domini sacrificabatur à populo. Hanc consuetudinem & sequutus est Salomon, & exēplo suo confirmauit.

Pag. 59. De Libellaticis.

ERasmus in annotationibus ad Cyprianum sic dicit: Qui non incendissent thura idolis, sed per libellos tantum dedissent nomina, Libellatici vocabantur. Est interim manifestum

ex D. Cypriano, quod ijdem libellos accipiebant. Vtrum igitur ab accipiendis, an verò à dandis libellis Libellatici vocarentur, quæri potest.

Pag. 61. De Ecbolis.

Dictio Græca apud Strabonē significat argenti purgamentū, id videlicet, quo reiecto atque secreto ipsum argentum redditur purgatius ac purius. Vnde non improbabile videtur translatam hanc vocem ad ea munera, quæ dabantur ijs qui sacrificare vel tradere cogebant res sacras. Illis enim abs se muneribus secretis traditisq́, purgabantur Christiani apud principem ac populum, tanquam qui obedienter mandata fecissent: istóque modo viri boni ab impijs & iam puri habebantur. Tales frustra sibi blandiebantur de confessione fidei. Vnde Themisius (inquit Apollonius) qui apud Montanistas nomine tantum confessionis inflatus est, veræ confessionis fructibus caret: quoniā quidē per multam pecuniā vincula deposuit. Apud Eusebium lib. 5. Eccl. hist. c. 18. Horū interim crimen fuisse leuius eorum crimine qui sacrificassent, declarat etiam canō tertius cōcilij Elibertini, qui sic habet: Flamines qui nō immolauerunt, sed munus tantū dederunt, eo quod se à funestis abstinuerūt sacrificijs, placuit in fine eis præstari cōmunionē facta tamē legitima pœnitētia: De his verò qui immolauerant seuerior multo præcedit canon.

Pagina

Pag. 17. De habitu & signo falsæ religionis.

COntra præceptum de colendo peccat mortaliter (inquit Nauarrus) qui aliquem habitum vel signum Iudæi vel Saraceni defert in loco, vbi in veste vel quouis alio charactere, vnusquisque suæ legis professionē indicat, Angel. verb. Infidelitas. §. 9. Syluester in Summa, verbo Habitus omißio. Id enim facere, perinde est ac præ timore se Iudæū esse aut Sarracenum confiteri. Non aūt peccaret propter solam omißionē signi vel habitus Christianismi, dummodo signa Iudæorum aut Sarracenorum non acciperēt, sicut rectè docuit Caietanus 2. 2. q. 3. art. 2.

Pagina 76.

IMprimis verò ÿ quorum ad munus pertinet docere & tutari veritatē, &c.) Huc pertinet illud Innocētÿ: Error cui nō resistitur, approbatur: & veritas cum nō defensatur, opprimitur. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Rursum quis aut tolerare poßit errantē, aut non recipere corrigentē? nam vt durū arbitror conniuentiā præbere peccantibus, ita impiū iudico manū negare cōuersis. Itaq; horum silētio multos sæpenumerò perire cōtingit, quos tanquā simplices oues lupi rapiunt ac laniāt, nemine obsistēte. Qui autem nō remouet, cū poßit, iniuriā & dānum, tam est in vitio, quàm ille qui facit, inquit Ambr lib. 3. officiorum cap. 36. Proinde si princeps quispiam silen-

ſilentium imperet catholicis paſtoribus, meminiſſe hi debent Apoſtolorum: quibus cùm eſſet non ſine graui interminatione mandatum ne vltra de Chriſti nomine loquerentur, dixerunt: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui, Actorum 4. Itaque & diaconus quidam nomine Beniamin, vt eſt in Tripar. lib. 10. cap. 33. cum ab impio rege dimiſſus eſſet, ea lege ne deinceps Chriſti doctrinam prædicaret, impoßibile eſſe reſpondit, vt non communicaret alijs lumen quod ipſe percepiſſet. Refugiebat illud quod & Gentiles execrabile eſſe iudicabant: Erranti nolle commonſtrare viam.

Pagina 110.

T*Alis nimirum eſt qui dicit; Iuraui, &c. Aliter hoc alij acceperunt, velut D. Gregorius 4. par. Paſtoralis cap. vlt. Nempe vt hoc dictum ſit à Dauide, quemadmodum & illud dixerat in abundantia cordis ſui: Non mouebor in æternum. Quia (inquit) virium eius non erat manere in cuſtodia quam iurabat, debilitatem ſuam protinus turbatus inuenit. Vnde & ad precis opem repente ſe contulit, dicens: Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundum verbum tuum. Pſal. 98.*

INDEX CAPITVM LIBRI HVIVS.

Cauen-

CEN-

CENSVRA.

Liber doctus & officio hominis Christiani, tempore potissimum persecutionum, multum vtilis & accommodus.

XV. Augusti, LXXVIII.

Ioh. Molanus censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI Dei gratia, Regis Hispaniarum, &c. Ducis Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Petri Zangrij libellum, cui titulus est; *De officio hominis Christiani in persecutione consistenti*: Authore D. IOANNE LENSAEO BELLIOLANO, &c. ante annos sex, quocunque modo vel forma imprimat, vel alibi impressum importet, venalémve habeat sub graui mulcta, vt latius patet in literis eidem Petro Zangrio datis & concessis, Louanij in Consilio Brabantiæ XIX. Augusti LXXVIII.

Signat.

Berwouts.

LOVANII,
Excudebat Ioannes Masius.
M. D. LXXVIII.